QUOMODO EURIPIDES IN SUPPLICIBUS TEMPORA SUA RESPEXERIT.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORGIUS LUGGE
GUESTFALUS.

MONASTERII GUESTFALORUM.
EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.
MDCCCLXXXVII.

Euripidem etsi vitam a re publica remotam musisque deditam semper egerit, nihilo minus quae et domi et belli gerebantur acri ingenio observasse summaque opera civium suorum saluti consulere studuisse fabulae eius satis demonstrant. Saepissime enim poeta, quippe cui ad suggestum aditus non pateret, scaenam in usum suum convertit, unde quae e republica esse sentiret cum civibus communicaret, ita ut in pulpito res publicas ageret neque magis poetae tragici quam viri civilibus artibus praestantis partes susciperet.

Hanc autem fabularum cum rebus publicis coniunctionem ab antiquis scriptoribus et scholiis leviter tantum perstrictam [1]) subtilius cognovisse cum ad universam fabulam intellegendam tempusque quo acta videatur circumscribendum, tum ad locos difficiliores et suspectos recte interpretandos plurimum valere clarissimi viri Boeckhius [2]) G. Hermannus [3]) Hartungus [4]) Bergkius, alii [5]) et verbis

---

[1]) Ne hoc quidem factum esse dicit Guetzlaff. Quaestionum de tragicis res gestas sui temporis respicientibus epicrisis. Diss. inaug. Hal. 1865 pag. 2 sqq. Quem redarguit Gualt. Schmidt. Qua ratione Euripides res sua aetate gestas adhibuerit in Heraclidis potissimum quaeritur. Diss. inaug. Hal. 1881 pag. 5 citans Plutarch. ap. Boeckh. Graec. trag. princ. pag. 179. Dio. Chrys. or. 52 § 11. Schol. ad Hec. 254—257 et ad Orest. 772.

[2]) Cf. Graec. trag. princ. Heidelb. 1808, quo libro vir ille doctissimus primus tecta rerum publicarum in tragoediis vestigia subtilius indagavit.

[3]) Cf. eius editiones fabular. Euripid. Lips. 1800 sqq.

[4]) Cf. Eurip. restitutus sive scriptorum Eurip. ingeniique censura, quam fecit I. A. Hartungus. Hamb. 1843. 44.

[5]) Cf. Hist. litt. Graec. tom. III cur. Gust. Hinrichs. Berol. 1884. Eiusd. Die Abfassungszeit der Andromache des Euripides. Herm. XVIII (1883) pag. 487 sqq. — Reliquos qui in hac re versati sunt enumerat G. Schmidt. l. c. pag. 3 sq.

et re docuerunt. Itaque cum Supplices Euripideam, quae tota fere in rebus publicis vertitur [1]) multasque illorum temporum significationes exhibet, nondum accuratius tractatam esse mihi persuasissem [2]), haud inutilem laborem me suscepturum ratus in hac fabula studium meum collocavi, ut quomodo Euripides in ea tempora sua respexisset excuterem. Neque neglexi quod viri docti monent, in hac re summa cautione opus esse consideratoque iudicio, ne praepropere suspicantes in futiles vanasque opiniones incidamus, quandoquidem et tempora illa nobis minus nota et tales rerum aequalium significationes per se saepe obscurae et ancipites sunt. Certo autem poetam consilium extra proprios iustosque tragoediae fines situm secutum esse affirmabimus, ubicunque argumentum ita electum vel immutatum est, ut cur id factum sit ex re quae agitur ipsa explicari nequeat, omnibus deinde locis quibus personas facit agentes vel dicentes, quae ad tempora mythica et personarum condiciones atque mores non quadrant aut tam ambigua sunt, ut spectatores ea ad sua tempora ultro rettulisse videantur. Nec minus in chori canticis egregiorumque virorum ut Thesei Erechthei dictis, vel ubi personae cuiusdam verba adversarii responsis non refutantur, ipsius poetae occurrere placita conici licet [3]).

Atque ita disputationem instituendam putavi, ut examinarem et quae universae tragoediae cum illis temporibus esset necessitudo

---

[1]) Cf. Boeckh. l. c. pag. 178. 188. G. Herm. Suppl. praef. pag. IV. Fix. Eurip. fab. Par. 1843 pag. XIII. Bergk. Hist. litt. Graec. l. c. p. 513 sqq.

[2]) De hac tragoedia scripserunt: Ad. Soetbeer. De mythico argumento Eurip. Suppl. Diss. inaug. Gott. 1837. Jul. Zastra in progr. gymn. Neiss. 1848. Rud. Gebhardt. De Supplicum Euripideae interpolationibus. Diss. inaug. Jen. 1882. Hi tamen omnes ex proposito suo rerum aequalium indicia strictim tantum et quasi in transitu attingunt. Nullius autem momenti ad hanc rem est De Hollander. De Euripidis Supplicibus. Diss. inaug. Lugd. Bat. 1840. Deinde hoc loco memorandi sunt: H. Zirndorfer. De chronologia fabular. Euripidear. Marb. 1839. K. Schenkl. Die politischen Anschauungen des Euripides, Wien 1862. Rich. Haupt. Die äussere Politik des Euripides. Progg. gymn. Eutin. 1870. Ploen. 1877., quorum disputationes quamquam fabulas Eurip. in universum respiciunt, tamen multa huc pertinentia continent.

[3]) Cf. Haupt. l. c. I pag. 7. Guetzlaff. l. c. pag. 1 sq. Schmidt. l. c. pag. 7 sqq. Roscher. Leben, Werke und Zeitalter des Thucydides. Gött. 1842 pag. 541 sq.

in argumento eligendo et tractando conspicua et qui singuli loci tecta significatione temporum rationem haberent. Quod cum certo diiudicari non posset nisi explorato fabulae tempore, hoc tempus nec didascalia nec scriptorum auctoritate nobis notum ex ipso fabulae argumento exquirere oportebat.

Has igitur rationes secutus demonstrare mihi proposui Supplices ab Euripide conscriptas esse primum quidem ad Athenas patriam celebrandam, deinde ut foedus cum Argivis ineundum commendaret, denique ut condiciones et studia eorum probaret, qui moderato populi imperio favebant.

I.

Admirabili patriae amore ducti poetae tragici saepius laudes Athenarum fabulis suis inseruerunt [1]), imprimis autem, id quod iam antiqui scriptores praedicarunt [2]), Euripides, quem omnes patriae celebrandae occasiones captasse atque adeo materiam tragoediarum ex antiquiore Atticae historia deprompsisse videmus [3]). Eodem in Supplicum quoque fabula eum intendisse et ex ipso argumento electo atque immutato facile cognoscitur neque veterem grammaticum, cui hypothesim debemus, praeteriit [4]). Nullam enim earum rerum, quas Athenienses antiquiore tempore praeclare gesserant, tantae sibi laudi tribuebant quam illustrissimum illud facinus Thesei, qui corpora Argivorum in Thebis oppugnandis caesorum tradere Thebanos coegerat. Neque id mirabitur, qui reputaverit quantum nefas Graeci mortuis vim inferre omni tempore habuerint, quanta religione eam legem servaverint, qua sancitum erat, ut victores

---

[1]) Cf. Aesch. Eumen. v. 916 sqq. Sophocl. Oed. Col. v. 668 sqq. Eur. Med. v. 824 sqq. Guetzlaff. l. c. pag. 2. In citandis locis fabularum Aeschyli et Sophoclis secutus sum editiones G. Dindorfii Lips. 1870, Euripidis, editionem Nauckii ibid. 1866.

[2]) Cf. Aeschin. Timarch. § 151. Lycurg. Leocr. § 100. Plutarch. Moral. pag. 604 D. Eurip. fab. frgm. 362 adn. (ed. Nauck.). Schenkl. l. c. pag. 8.

[3]) Huiusmodi sunt Aegeus Alope Erechtheus Heraclidae Hercules fur. uterque Hippolytus Ion Supplices Theseus. Cf. Schenkl. l. c. pag. 23. Uberius de his fabulis disseruit U. de Wilamowitz-Moellendorff Analecta Euripidea, Berol. 1875 pag. 178 sqq.

[4]) Cf. quod in Suppl. argumento legitur τὸ δὲ δρᾶμα ἐγκώμιον Ἀθηνῶν.

victis hostibus sive Graecis sive barbaris occisorum corpora sine ulla condicione concederent [1]). Athenienses autem Thebanos ad officium revocantes non solum sanctissimarum legum vindices se ostenderant, sed auxilium ab iis petitum praestitumque etiam documento erat, penes Athenas iam antiquissimo tempore principatum Graeciae fuisse. Atque Athenienses ipsos ita sensisse luculentissimum tradidit testimonium Herodotus. Nam Athenienses cum ante pugnam Plataeensem cum Tegeatis controversiam haberent, utri dextrum cornu in acie tenerent, ut sibi hunc locum deberi demonstrarent, illius rei mentionem fecerunt [2]). Eandem huic fabulae in rhetorum laudationibus celeberrimae vim etiam Isocrates subicit hisce verbis: „*ἐκ δὴ τούτων ῥᾴδιον κατιδεῖν ὅτι καὶ κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἡ πόλις ἡμῶν ἡγεμονικῶς εἶχεν*,“ addens huius gravissimi officii haud immemores ne bellum quidem suscipere Athenienses dubitasse [3]). Sed cum tres fere diversae formae exstarent mythi de Thesei clarissimo facinore [4]), Euripides eam qua bellum Athenienses cum Thebanis gessisse tradebatur secutus est, nimirum ut patriae gloriam augeret et victoriam splendidissimam resque a militibus praeclare gestas in scaena enarrando spectatorum et aures permulceret et animos excitaret.

Ut igitur argumentum fabulae ipsum Atheniensibus summo decori fuit, sic etiam verbis opes virtutesque eorum illustrantur atque celebrantur, velut ab Adrasto, qui Theseum *καλλίνικον ἄνακτα* et *ἀλκιμώτατον καθ᾽ Ἑλλάδα κάρα* appellat [5]) potentiamque Athenarum ita praedicat:

---

[1]) Cf. Soetbeer. l. c. pag. 19 sq.

[2]) Cf. Herod. IX 27. Zastr. l. c. pag. 11.

[3]) Cf. Paneg. § 57. (Isocr. orat. ed. Blass. Lips. 1878 vol. I pag. 54.).

[4]) Cf. Soetbeer. l. c. pag. 18. Antiquissima enim fama ipsisque Thebanis probata erat in eadem terra atque ceciderant heroes Argivos sepultos esse; vid. Pind. Ol. VI 15 sq. Nem. IX 22. Aeschylus contra in tragoedia quae „Eleusinii“ inscripta erat hoc Eleusine factum esse finxerat, postquam Theseus corpora illa gratia et pacto a Thebanis recepisset; vid. Plut. Thes. c. XXIX. Tertiam vero mythi formam, quam Euripides amplexus est, iam antea notam fuisse ex loco Herod. IX 27 supra allato satis apparet. Errat igitur Bergkius Hist. litt. Graec. l. c. pag. 532 bellum a Theseo susceptum invenisse Euripidem dicens. Cf. Soetb. l. c. pag. 16 sqq.

[5]) Cf. Suppl. v. 113. 163.

v. 188 sqq. πόλις δὲ σὴ
μόνη δύναιτ' ἂν τόνδ' ὑποστῆναι πόνον·
τά τ' οἰκτρὰ γὰρ δέδορκε καὶ νεανίαν
ἔχει σὲ ποιμέν' ἐσθλόν.

v. 1183. χαῖρ'· ἄξιος γὰρ καὶ σὺ καὶ πόλις σέθεν.

Similibus deinde laudibus easdem effert chorus:

v. 379 sq. σύ τοι σέβεις δίκαν, τὸ δ' ἧσσον ἀδικίᾳ
νέμεις δυστυχῆ τ' ἀεὶ πάντα ῥύει.

Atque cum Athenienses id semper sibi proposuerint, ut sceleratos punirent, et imprimis Theseus iam multos labores ad deorum leges tuendas sustinuerit [1]), hic vera cum gloria de se patriaque sua praedicat:

v. 561 sqq. οὐ γάρ ποτ' εἰς Ἕλληνας ἐξοισθήσεται
ὡς εἰς ἔμ' ἐλθὼν καὶ πόλιν Πανδίονος
νόμος παλαιὸς δαιμόνων διεφθάρη.

Quamquam autem Athenienses afflictis auxilio venire non dubitant, tamen tantum abest, ut ad lites et discordias prompti sint, ut ipse Theseus se haudquaquam ad bellum prolixos cum bona gratia componere controversias cupere diserte profiteatur [2]), atque repudiata demum componendi facultate arma capessat, bello autem confecto summa cum moderatione victoria utatur ad ea tantum adsequenda, quorum causa ad bellum profectus est [3]).

Tales vero civium virtutes cum non convalescant nisi in libera re publica, poeta hanc libertatem tamquam summum atque pretiosissimum bonum Atheniensium praedicat. Cum in singulari imperio unus quidem omnia insolenter iura sibi arroget, Athenis non unius arbitrium, sed scriptas leges valere et aequum inter omnes ius, ut universo populo administrandae rei publicae participe pauperrimi omnino pares sint ditissimis. Cuivis civi licere de quacunque re velit impune dicere eaque quae e republica sint populo suadere. Cum tyrannus sibi suisque rebus timens optimum quemque civem

---

[1]) Cf. ibid. v. 573 sqq.

[2]) Cf. ibid. v. 385 sqq. 522 sqq. 670 sqq.

[3]) Cf. ibid. v. 723 sqq.

παρὸν δὲ τειχέων εἴσω μολεῖν,
Θησεὺς ἐπέσχεν· οὐ γὰρ ὡς πέρσων πόλιν
μολεῖν ἔφασκεν, ἀλλ' ἀπαιτήσων νεκρούς.

perosus e medio tollat neque bona aut liberos civium violare cunctetur, in libera civitate florem validae iuventutis vigere, quae nihil habeat antiquius quam ut gloriam patriae augeat; hic omnes tranquillos fortunis acquisitis uti et adulescente filiorum filiarumque prole gaudere [1]).

Quamvis autem rei publicae libertate, gloria belli, civium virtute Athenae floreant, summo tamen decori est patriae ipse Theseus, quem clarissimis virtutibus excellentem poeta descripsit: pium erga deos atque parentes, pacis amantem non minus quam ducem strenuum et fortem, gubernatorem rei publicae consilii plenum, patriae patrem optimum [2]).

Haec omnia Euripidem eo consilio ut patriam laudibus ornaret expinxisse et hac potissimum de causa eam famam secutum esse, qua Athenienses bellum illud contra Thebas suscepisse traderetur, haud difficile est intellectu. Neque quid his laudibus sibi voluerit dubitari potest. Ac primum quidem poetae patriae amantissimo id cordi fuisse videtur, ut in conspectu tot Graecorum, qui Dionysiis magnis — si quidem his diebus festis fabulam actam esse recte coniicimus [3]) — frequentissimi Athenas undique confluere solebant, patriae urbis imaginem quam splendidissimam repraesentaret [4]), Athenienses opibus, rei publicae forma, virtutibus, rebus gestis, iam antiquissimo tempore ceteris Graecis praecessisse ideoque dignissimos esse ostenderet, qui principatum Graeciae, eo ipso tempore acerrimi belli causam, praeter omnes tenerent. Quae quamquam ad omnes fere Graecos dicebantur, tamen imprimis ad Argivos,

---

[1]) Cf. ibid. v. 426 sqq.

[2]) Vid. infra pag. 42 sq.

[3]) Vid. infra pag. 20 sqq.

[4]) Cf. Aug. Mommsen. Heortologie, Leipz. 1864 pag. 60 sq.: „Im Elaphebolion erschienen die Bündner und brachten ihre Steuern (Boeckh. St. H. I pag. 191). Ihnen und überhaupt allen Fremden gegenüber galt es, die Metropole in ihrem Glanze zu zeigen, das Uebergewicht ihres Reichtums nicht bloss, sondern auch dessen geistvolle Verwendung zu entfalten. Dass dies eine Macht war, lässt Thucyd. VI 16 den Alcibiades sagen: *„καὶ ὅσα αὖ ἐν τῇ πόλει χορηγίαις ἢ ἄλλῳ τῳ λαμπρύνομαι, τοῖς μὲν ἀστοῖς φθονεῖται φύσει, πρὸς δὲ τοὺς ξένους καὶ αὕτη ἰσχὺς φαίνεται.“* Hier werden wir an die grossen Dionysien zu denken haben.“

quos ut sibi conciliarent Atheniensium tunc multum interfuisse infra videbimus, Euripidem haec pronuntiantem se convertisse suspicor [1]).

Verum etiam alio has Athenarum laudes spectare ex ratione, quae Atheniensibus cum Thebanis in Supplicum fabula intercedit, clarissime elucet. Corpora enim occisorum restituendi recusatio, qualis in fabula vulgari ferebatur, cum ipsa magno sit dedecori Thebanis, tamen Euripides consulto atque acrius quam pro rerum statu data opportunitate in eos invehi videtur. Nam compluribus locis eos in praesens quidem secunda fortuna uti, sed eam aequo animo ferre non posse dicit:

v. 124. εὐτυχοῦντες οὐκ ἐπίστανται φέρειν.

v. 463 sq. φεῦ φεῦ· κακοῖσιν ὡς ὅταν δαίμων διδῷ
καλῶς, ὑβρίζουσ᾽ ὡς ἀεὶ πράξοντες εὖ.

Esse homines malos ac superbos, qui mortuos in sepulcro condere denegent, sanctum hospitii ius nefarie violantes leges deorum contemnant et omnium Graecorum communia instituta perturbent:

v. 743 sq. ὑβρίζων τ᾽ αὖθις ἀνταπώλετο
Κάδμου κακόφρων λαός.

v. 18 sq. εἴργουσι δ᾽ οἱ κρατοῦντες οὐδ᾽ ἀναίρεσιν
δοῦναι θέλουσι, νόμιμ᾽ ἀτίζοντες θεῶν.

v. 467 sqq. ἐγὼ δ᾽ ἀπαυδῶ πᾶς τε Καδμεῖος λεὼς
Ἄδραστον . . . . .
λύσαντα σεμνὰ στεμμάτων ἱκτήρια
τῆσδ᾽ ἐξελαύνειν.

v. 308 sqq. ἄνδρας βιαίους καὶ κατείργοντας νεκροὺς
τάφου τε μοίρας καὶ κτερισμάτων λαχεῖν
νόμιμά τε πάσης συγχέοντας Ἑλλάδος.

Quos non Argos tantum, sed totam Graeciam ignominia afficere:

v. 537 sqq. δοκεῖς κακουργεῖν Ἄργος οὐ θάπτων νεκρούς;
ἥκιστα· πάσης Ἑλλάδος κοινὸν τόδε,
εἰ τοὺς θανόντας νοσφίσας ὧν δεῖ λαχεῖν
ἀτάφους τις ἕξει.

---

[1]) Vid. infra pag. 14 sqq.

Eadem deinde poetae in Thebanos ira cognoscitur in caduceatoris Thebani persona. Quamquam enim concedendum est in aliis quoque fabulis illud hominum genus ab Euripide insectationibus peti [1], tamen in hac tragoedia caduceator ille tam contemptus et abiectus inducitur, ut hunc hominem vaniloquum, insolentem, rusticum, cavillando poetam omnes Thebanos cavillari voluisse verisimile sit [2]. Itaque cum omnibus his locis tam infestum in Thebanos se ostendat Euripides, et horum vitia suorum civium virtutibus de industria opponat, dubium esse non potest, quin cum fabulam conscriberet Athenienses odio in Thebanos inflammati fuerint eorumque in illos iram contumeliosis vocibus poeta effundat [3]. Singularis autem odii fieri non potest quin singularis fuerit causa. Qualem quo tempore habuerint Athenienses si indagamus, bene adiuvamur mira similitudine quae fabulae argumento est cum re quadam priore belli Peloponnesiaci tempore facta. Nam Thebanos idem scelus, quod in fabula iis exprobratur, anno 424 a. Chr. n. in ipsos Athenienses patrasse reperimus. Eo enim quem diximus anno Athenienses ad Delium, fanum Apollinis in Boeotia prope ab Atticae finibus situm, quod paulo ante muniverant, a Thebanis tam ingenti clade prostrati sunt, ut mille fere milites interficerentur, in iis Hippocrates imperator [4], atque adeo haud pauci timerent, ne Boeoti in ipsam Atticam irrumperent [5]. Accessit ut victores victos

---

1) Ut in Heraclidis Troadibus Oresta. Cf. Schenkl. l. c. pag. 45 sqq. Schol. Orest. 895 ap. Nauck. Eur. fab. III frg. 1001: *καὶ ἐν ἄλλοις κατὰ τῶν κηρύκων λέγει ὅτι*

„*ἀεί ποτ᾽ ἐστὶ σπέρμα κηρύκων λάλον.*"

2) Cf. praeter arrogantia ipsius praeconis verba v. 409 sqq. 465 sqq. 568 sqq., ea quibus Theseus illum compellat:

v. 426. *κομψός γ᾽ ὁ κῆρυξ καὶ παρεργάτης λόγων.*

v. 458 sqq. *κλαίων γ᾽ ἂν ἦλθες, εἴ σε μὴ ᾽πεμψεν πόλις,*
περισσὰ φωνῶν . . . . . .
. . . . τὸ λοιπὸν δ᾽ εἰς ἐμὴν πόλιν Κρέων
ἧσσον λάλον σου πεμπέτω τιν᾽ ἄγγελον.

3) Cf. Zastr. l. c. pag. 6. Bergk. Hist. litt. l. c. pag. 533 sq. Zirndorf. l. c. pag. 50 sq. Idem concedit ipse Hauptius l. c. II pag. 10, qui de tempore actae fabulae quidquam inde concludi posse negat.

4) Cf. Thuc. IV 90 sqq. 101.

5) Cf. Xenoph. Memor. III 5, 4.

vehementissime eo irritarent, quod corpora in proelio occisorum dum Athenienses in Boetia morarentur reddere recusabant, violantes legem illam sanctissimam et ab omnibus Graecis omni tempore summa religione servatam. Septemdecim demum dierum spatio intermisso, postquam Delium recuperaverunt et multum per caduceatores actum est, morem iis gesserunt[1]).

Quam rem a scriptoribus traditam si consideraverimus, mirum in modum cum Supplicum argumento consentire videbimus. Utrobique iidem Thebani victores, communes Graecorum leges irridentes iustasque occisis exsequias fieri prohibentes, utrobique exacerbati Atheniensium animi, utrobique caduceatorum tam verbosae quam irritae actiones[2]). Ex hoc insigni consensu autem duas res colligi licet: Euripidem in argumento fabulae tractando res ad Delium factas respexisse idque haud ita multo post, priusquam Atheniensium ira defervescere coepisset; deinde ea de causa hanc materiam sumpsisse et in impietate Thebanorum, Atheniensium pietate amplificanda tam copiosum fuisse, ut horum in illos odium effunderet atque eosdem Thebanos, qui tunc victoria elati occisos tradere recusarent, iam multis ante annis a suis civibus vi armisque idem coactos esse admoneret eaque admonitione cives suos cohortaretur et de rebus suis bene sperare iuberet[3]).

Eodem etiam pertinet quod ad epigonorum qui vocantur victoriam identidem animos advertit[4]) et fortunam blandientem Thebanis, utpote variam ac mutabilem, facile posse in contrarium vertere dicit, velut:

---

[1]) Cf. Thuc. l. c. cap. 101.

[2]) Cf. Bergk. l. c. pag. 536 adn. 218. „Unwillkürlich wird man an die ausführlichen staatsrechtlichen Erörterungen zwischen boeotischen und attischen Herolden bei Delion erinnert; wenn Thuc. IV 97—100 diese Verhandlungen im Detail mitteilt, so gibt er gewiss ein annähernd treues Bild der Wirklichkeit.“

[3]) Contra Guetzlaffius l. c. pag. 56 „peius solacium excogitare poetam non potuisse quam fabulam scaenae committere, quae victoriam de iisdem Thebanis reportatam descripserit qua Athenienses Argivis id praestitissent, quod tunc ne sibi ipsis quidem praestare potuerint.“ Cuius sententiae mentionem facere satis habui; neque enim vereor ne qui diligenter animoque non praeoccupato fabulam legerit huic sententiae accedat.

[4]) Cf. Suppl. v. 1143 sqq.

v. 329 sqq. *Κάδμου θ' ὁρῶσα λαὸν εὖ πεπραγότα,*
ἔτ' αὐτὸν ἄλλα βλήματ' ἐν κύβοις βαλεῖν
πέποιθ'· ὁ γὰρ θεὸς πάντ' ἀναστρέφει πάλιν.

v. 608 sq. *ἀλλὰ τὸν εὐτυχίᾳ λαμπρὸν ἄν τις αἱροῖ*
μοῖρα πάλιν· τόδε μοι τὸ θράσος ἀμφιβαίνει [1]).

Frustra Hauptius [2]) contradicit, Thebanos ceteroqui viros fortes et laude belli dignos describi; namque id in Aeschylum quidem convenit, qui ob hanc rem ab Aristophane castigatur [3]). Euripides autem non Thebanos, sed heroes Argivos laudibus effert [4]). Atque Thebani magna victoria potiti erant, sive fabulam sive pugnam apud Delium factam respicimus; ignavia ergo iis minime opprobrari poterat, quo opprobrio insuper Atheniensium gloria valde imminuta esset, nam victoria ex ignavis parta minima est gloria.

Sed haec quidem de consilio, quod Euripides in patria celebranda potissimum secutus esse quidque de tempore fabulae conscriptae inde concludi posse videatur. Iam vero ad alteram huius disputationis partem me converto, ut societatem cum Argivis faciendam a poeta commendari demonstrem.

---

[1]) Cf. etiam v. 463 sq. supra citatos et v. 518 sqq. ubi Theseus Athenienses Boeotis potentia antecedere praedicat.

[2]) Cf. l. c. II pag. 10.

[3]) Cf. Arist. Ran. (ed. Kock. Berol. 1881) v. 1023 sq.
τουτὶ μέν σοι κακὸν εἴργασται· Θηβαίους γὰρ πεποίηκας
ἀνδρειοτέρους εἰς τὸν πόλεμον· καὶ τούτου γ' εἵνεκα τύπτου.

[4]) Cf. Adrasti orationem funebrem Suppl. v. 857 sqq.

II.

Theseus Argivis gravi calamitate oppressis atque frustra undique auxilium quaerentibus bello contra Thebanos gesto gratissimum fecerat eosque in perpetuum sibi devinxerat. Itaque et heros ipse quid sibi debeant Argivi diserte admonet[1]) et Adrastus patriam suam Atheniensibus semper gratiam habituram neque unquam horum in se beneficia oblituram esse profitetur[2]). His dictis fabula aptissime finiri potuit. Tum vero dea Minerva comparet atque Theseum cum Argivis foedus icere iubet hisce verbis:

ἄκουε, Θησεῦ, τούσδ᾽ Ἀθηναίας λόγους,
ἃ χρή σε δρᾶσαι, δρῶντα δ᾽ ὠφελεῖν τάδε.
μὴ δῷς τάδ᾽ ὀστᾶ τοῖσδ᾽ ἐς Ἀργείαν χθόνα
παισὶν κομίζειν ῥᾳδίως οὕτω μεθείς,
ἀλλ᾽ ἀντὶ τῶν σῶν καὶ πόλεως μοχθημάτων
πρῶτον λάβ᾽ ὅρκον. τόνδε δ᾽ ὀμνύναι χρεὼν
Ἄδραστον· οὗτος κύριος, τύραννος ὤν,
πάσης ὑπὲρ γῆς Δαναϊδῶν ὁρκωμοτεῖν.
ὁ δ᾽ ὅρκος ἔσται, μήποτ᾽ Ἀργείους χθόνα
εἰς τήνδ᾽ ἐποίσειν πολέμιον πανταυχίαν
ἄλλων τ᾽ ἰόντων ἐμποδὼν θήσειν δόρυ.
ἢν δ᾽ ὅρκον ἐκλιπόντες ἔλθωσιν πόλιν,
κακῶς ὀλέσθαι πρόστρεπ᾽ Ἀργείων χθόνα[3]).

---

[1]) Cf. Suppl. v. 1169 sqq.
[2]) Cf. ibid. v. 1176 sqq. Similiter chor. v. 373 sqq.
[3]) Cf. ibid. v. 1183 sqq.

Hanc deae praesentiam dramatis ratione non modo non postulari aut excusari posse, sed etiam supervacaneam atque inutilem esse omnes viri docti consentiunt [1]. Actio enim plane ad exitum perducta neque deus ex machina, quem aliis in fabulis ad nodum solvendum in scaenam inducit, iam opus est. Accedit quod de hostium in Atticam incursionibus mentio iniecta [2] minus apte ad tempora heroica referri potest, aptissime autem ad tempus belli Peloponnesiaci, quo fines Atticae quotannis Lacedaemoniorum irruptionibus vastabantur.

Itaque Euripidem hic sua tempora respexisse et foedus, quod in scaena Minervam commendare fingit, praesenti tempore ineundum proponere apparet.

Quod si verum est, videndum nobis erit, quo potissimum tempore fieri potuerit, ut poeta hoc civibus suis suadere in animum induceret. Primum igitur inquiramus, quo tempore Athenienses de societate cum Argivis ineunda cogitaverint quaeque res tunc gestae eius societatis causae fuerint, deinde quo modo cum illius temporis condicione poetae consilium singulique fabulae loci conveniant, qui tecta significatione eodem spectare videantur.

Qui populi Atheniensis causam agebant omni tempore Athenas amicitia cum Argis coniungere studuerunt [3], quae civitas simili rei publicae forma uteretur [4] et cum Spartanis popularis imperii inimicis veteres simultates haberet [5]. Quare statim ab oppressa optimatium potentia anno 460 a. Chr. n. Athenienses Pericle auctore cum Argivis foedus fecerunt [6]; atque Cleonem idem secutum esse

---

[1] Cf. Bode. Hist. litt. Graec. III 1 pag. 497. Bergk. l. c. pag. 533 sqq. Hartung. l. c. II pag. 103. Zirndorf. l. c. pag. 54. Zastr. l. c. pag. 9.

[2] Cf. praeter v. 1191 sqq. supra citatos, v. 1205 sqq.

[3] Cf. G. Gilbert. Beiträge zur inneren Geschichte Athens. Leipz. 1877 pag. 188 sqq.

[4] Cf. Thuc. V 44, 1. Ipso ostracismo pariter atque Athenienses tunc utebantur Argivi; cf. Arist. Polit. VIII 2, 5 pag. 1302 A ed. Susemihl. G. Busolt. Forschungen zur griechischen Geschichte. Breslau 1880 pag. 77.

[5] Non solum de terra Cynuria, sed etiam de principatu Peloponnesi, quem Argivi antiquissimo tempore obtinuerant et tunc recuperare studebant. Cf. Thuc. V 14, 4. 28, 2.

[6] Cf. Thuc. I 102, 4.

ab Aristophane docemur [1]). Paulo post Alcibiades eandem viam ingressus est, cum odio Lacedaemoniorum, qui eo contempto per Niciam et Lachetem pacem cum Atheniensibus fecerant, tum quod societatem Argivorum magis quam amicitiam Lacedaemoniorum patriae prodesse persuasum habebat [2]). Itaque iam anno 421 summa virium contentione Niciae obstitit, ne pacem conficeret, et post initam pacem operam dedit, ut bellum redintegraretur, monens Lacedaemonios non ex animi sententia Atheniensibus cupere, sed ea tantum de causa pacem quaerere, ut Argivos desolatos auxilioque destitutos eo facilius opprimere possent, praesertim cum pax ab ipsis quondam cum Argivis in triginta annos facta iam ad finem vergeret [3]). Quod ipse domi, amici eius Argis moliebantur, quos hortatus erat, ut Spartanis adversari perseverarent neve de foedere Atheniensium desperarent [4]). Maxime autem consilia Alcibiadis adiuvabat, quod Lacedaemonii pacis condiciones exsequi cunctabantur. Quamquam enim iis sorte evenerat, ut initium exsequendi facerent [5]), Athenienses autem iam Lacedaemonios Pyli captos restituerant, tamen neque urbes Thracias tradiderunt, neque Thebanos adduxerunt, ut Panactum captosque Athenienses traderent [6]). Atque cum ephori Lacedaemonii in annum 420 creati ad bellum promptiores cum Thebanis foedus facerent, quo Nicianam pacem aperte violabant, Thebani autem Panactum solo aequarent idque Spartani probasse viderentur, tum quidem tanta Athenis omnium ira de Lacedaemoniorum perfidia coorta est, ut horum legati, qui paulo post Athenas advenerunt captivos et ruinas Panacti offerentes, vehementissime incusati aspero responso dimitterentur [7]). Alcibiades

---

1) Cf. Equit. v. 465 sqq. ubi botularius Cleoni haec obicit:

οὔκουν μ' ἐν Ἄργει γ' οἷα πράττει λανθάνει,
πρόφασιν μὲν Ἀργείους φίλους ἡμῖν ποιεῖ·
ἰδίᾳ δ' ἐκεῖ Λακεδαιμονίοις ξυγγίγνεται.

Quibus ex verbis satis apparet Cleonem eo tempore cum Argivis de foedere egisse. Vid. Gilb. l. c. pag. 189 sq.

2) Cf. Thuc. V 43.

3) Cf. ibid. 14, 4. 22, 2.

4) Cf. Plut. Alcib. c. XIV (ed. Sintenis. Lip. 1839).

5) Cf. Thuc. V 21, 1. Plut. Nic. c. X.

6) Cf. Thuc. V 35, 3. Bus. l. c. pag. 106 sqq. 125 sqq.

7) Cf. Thuc. V 39.

autem, cuius sententiam ipse eventus iam probaret, opportunum rei gerendae tempus sibi dari ratus ilico nuntios clam Argos misit: quam celerrime Athenas venirent ad foedus faciendum; se ipsum omnibus modis eos iuvaturum esse[1].

Sed paucis diebus ante de iis quoque, quae inter Lacedaemonios et Boeotos convenerant, nuntius Argos allatus erat et totam civitatem vehementissime commoverat, cum omnes persuasum haberent, ea quae Nicianae pacis sponsiones violarent fieri non potuisse nisi concordia inter Spartanos Thebanos Athenienses restituta: Athenienses Panacti excidium probasse et in eo iam esse, ut cum Thebanis foedus icerent. Timentes igitur, ne indutiis triginta annorum, quas cum Spartanis fecerant, ad finem vergentibus eodem tempore cum omnibus illis civitatibus bellum sibi gerendum esset, solamque salutem in recuperanda Lacedaemoniorum amicitia positam esse arbitrati, tam praepropere legatos Spartam miserunt, ut neque verum rei statum ab Atheniensibus perquirerent, neque Mantinensium aut Eleorum, sociorum suorum, ullam rationem haberent[2].

Hoc ipso igitur tempore nuntii Alcibiadis, quos supra commemoravimus, Argos ädvenerunt et quo pacto res se haberet docuerunt. Quo factum est, ut Argivi se frustra timuisse cognoscentes iterum sententiam mutarent; et ut paulo ante socios neglexerant, ita tunc legatos Spartam missos nihil curabant et una cum Mantinensibus et Eleis statim legatos de foedere Athenas miserunt[3].

Sed vix Lacedaemonii rem praeter opinionem evenisse compertum habebant, cum ipsi quoque legatos Athenas miserunt, qui illi foederi officerent, simul societatis cum Boeotis initae excusationem adferrent[4]. Hi legati ab Atheniensibus pacis servandae studiosis benevole excepti cum in senatu se cum summa potestate de componendis omnibus controversiis venisse dicerent, Alcibiadi metum iniciebant, ne, si hoc ad populum quoque referrent, vulgus ad suam voluntatem perducerent atque ad repudiandam Argivorum societatem impellerent. Quo periculo interposito Alcibiades ne turpissimam

---

[1]) Cf. ibid. V 43, 3.
[2]) Cf. ibid. V 40. 41.
[3]) Cf. ibid. V 44.
[4]) Cf. ibid. V 44, 3.

quidem fraudem perhorrescens Lacedaemoniis fide data persuasit, ne cum summa potestate se venisse coram populo faterentur; hac lege se et Pylum reddendam iis curaturum et ceteras controversias compositurum esse. Hoc autem eo consilio fecit, ut eos a Nicia abalienaret atque apud populum ipsos criminatus, quod nihil veri sincerique in animo haberent, ad Argivorum societatem animos Atheniensium inclinaret. Atque ita evenit. Nam cum legati in contionem processissent et interrogati id quod in senatu dixerant negarent, nihil doli subesse arbitrati, Alcibiades prodiit et acerrime perfidiam eorum incusavit. Athenienses autem tanta indignatione exarserunt, ut statim cum Argivis eorumque sociis foedus facturi fuerint, nisi terrae motu contio dilata esset [1]).

Nihilo tamen setius Nicias, cum etiam tum amicitiam Lacedaemoniorum foederi Argivorum praeponendam censeret, postero die civibus suis persuasit, ne prius cum Argivis agerent quam legatione missa experti essent, quid Lacedaemonii mente agitarent, utrum et Amphipolim et Panactum integrum restituere, Boeotorum autem societatem dirimere atque pacem servare vellent necne. Ipse vero princeps eius legationis Spartam profectus nihil profecit, cum ii plus valerent qui a Boetorum parte stabant bellumque renovare studebant; tamen foederis brevi post Nicianam pacem ab Atheniensibus et Lacedaemoniis initi ius iurandum ipso rogante renovatum est, id quod ex sponsionibus quotannis fieri debebat [2]). Quo modo cum Nicias infectis rebus redisset, Athenienses ab eo se averterunt et Alcibiadem secuti, quem hoc ipso tempore curatorem rei militaris (στρατηγόν) creaverunt, foedus cum Argivorum Mantinensium Eleorum legatis etiam tum Athenis morantibus fecerunt [3]).

Quo tempore hoc foedus factum sit certo definiri potest. Alteram enim de qua supra diximus Argivorum legationem Thucydides prodidit „ἅμα τῷ ἦρι εὐθὺς τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους“ i. e. ineunte fere mense Elaphebolione vel paucis diebus ante Spartae de societate

---

1) Cf. ibid. V 45. Plut. Alc. c. XIV

2) Cf. Thuc. V 18, 9.

3) Cf. Thuc. V 46. Plut. Alc. c. XV.

egisse [1]. Eodem tempore Lacedaemoniorum legati Athenis erant [2], quibus aspere dimissis Alcibiades ilico Argivos adducit, ut legatos Athenas mittant, dum altera legatio eorum, ἅμα τῷ ἦρι Spartam profecta, ibi versatur [3]. Spartani interim de mutato Argivorum animo certiores facti iterum legatos Athenas mittunt, qui Alcibiadis consilia irrita faciant. Horum adventu inde ab illa priore legatione minimum decem dies praeterierint necesse est, abhinc autem usque ad Niciae reditum quindecim fere dies. Quod si recte ratiocinati sumus, foedus cum Argivis mense Munichione factum esse sequitur [4]. Idem efficitur eo, quod Plutarchus narrat, statim post Niciae reditum Athenienses et Alcibiadem στρατηγόν creasse et cum Argivis foedus fecisse [5]; illa comitia autem mense Munichione habebantur [6]. Tertium deinde temporis indicium idque certissimum est, quod Nicia Spartae versante ius iurandum foederis

---

1) Cf. Thuc. V 40, 1 ed. Poppo-Stahl. adn. Si enim Boeckhii rationes sequimur, quas Zur Gesch. der Mondcyclen der Hell. p. 27 in tabula chronologica proposuit, cum quibus in hoc anno consentit Unger (cf. A. Mommseni Chronol. p. 414), cum uno tantum die differat A. Mommsenus (cf. l. c. p. 289), Elaphebolion a. 420 ab VIII Id. Martias incipiebat. Plataeae autem auctore Thuc. II 2, 1 item ἅμα ἦρι ἀρχομένῳ captae sunt secundum Kruegerum (Hist. phil. Stud. I p. 221 sqq.) ineunte Martio, Boeckhio (l. c. p. 79) et A. Mommseno (l. c. p. 385) auctoribus ineunte mense Aprili, quod posterius cum aliis de causis minus probabile sit (cf. Wilamowitzii Cur. Thuc. p. 12), tum nostri quam Attici veris initio videtur accommodatius esse et ad idem anni tempus V 40, 1 significatum magna Dionysia, i. e. diem IX Elaphebolionis (cf. A. Momms. Heortol. p. 387 sq.), utique praecedens parum convenit. Utcunque res se habet, ante Martii mensis initium veris Thucydidei initium ponere vix licet, ita ut a. 420 inde usque ad magna Dionysia plus sedecim dies non praeterierint.

2) Cf. Thuc. V 42, 1 ἐν δὲ τῷ χρόνῳ τούτῳ ᾧ οἱ Ἀργεῖοι ταῦτα ἔπρασσον, οἱ πρέσβεις τῶν Λακεδαιμ. κτλ.

3) Cf. ibid. V 43, 3 καὶ τότε ἐπειδὴ ἡ διαφορὰ ἐγεγένητο, πέμπει (sc. ὁ Ἀλκιβιάδης) εὐθὺς ἐς Ἄργος ἰδίᾳ κτλ.

4) Cf. Gilb. l. c. pag. 221 sqq.

5) Cf. Plut. Alc. XV οὕτω δὲ τῶν Λακεδαιμονίων ἐκπεσόντων στρατηγὸς ἀποδειχθεὶς ὁ Ἀλκιβιάδης εὐθὺς Ἀργείους καὶ Μαντινεῖς καὶ Ἠλείους συμμάχους ἐποίησε τοῖς Ἀθηναίοις.

6) Cf. Gilb. l. c. pag. 5 sqq. Beloch. Die athenische Politik seit Pericles. Leipz. 1844 pag. 265 sqq. Wilamow. Aus Kydathen pag. 58.

quotannis faciendum primum renovatum est[1]), quod foedus 24. die mensis Elaphebolionis initum erat[2]). Cum autem statim post Niciae reditum Athenienses foedus facerent, id mense Munichione factum esse liquet.

Ita anno 420 res se habebant, quas uberius explicari oportuit, quod Euripides non solum foedus in universum, sed etiam singulas illas res compluribus fabulae locis respexit. Iam vero quo modo hoc factum sit accuratius examinandum est.

Cum poeta Supplicum fabula foedus cum Argivis ineundum commendet, dubitari non potest, quin ante initum foedus fabula sit acta[3]). Quod quamquam per se patet, tamen etiam locos quosdam fabulae idem significantes liceat adferre. Euismodi sunt quae Theseus contra Adrastum profert v. 246 sqq.

κἄπειτ᾽ ἐγώ σοι σύμμαχος γενήσομαι;
τί πρὸς πολίτας τοὺς ἐμοὺς λέγων καλόν;
χαίρων ἴθ᾽· εἰ γὰρ μὴ βεβούλευσαι καλῶς,
αὐτὸς πιέζειν τὴν τύχην, ἡμᾶς δ᾽ ἐᾶν·

et chori verba v. 375.

τί μοι πόλις κρανεῖ ποτ᾽; ἆρα φίλιά μοι τεμεῖ;

eiusdemque v. 1232 sq.

στείχωμεν, Ἄδρασθ᾽, ὅρκια δῶμεν
τῷδ᾽ ἀνδρὶ πόλει τ᾽·

Denique non est omittendum ne in scaena quidem foedus iam confici, sed ut conficiatur a Minerva Theseo imperari, qua in re erravit Bergkius[4]). Quod autem foederis Alcibiade auctore facti condiciones cum iis, quas dea in tragoediae fine proponit, aliquantum congruunt[5]), inde non colligitur fabulam post ictum foedus

---

[1]) Cf. quae supra diximus pag. 18.

[2]) Cf. Thuc. V 46, 4. 19, 1. Bus. l. c. pag. 142 adn. 47.

[3]) Cf. Boeckh. l. c. pag. 188. G. Hermann. Supplic. praef. pag. III sq. Zastr. l. c. pag. 8 sqq. Bergk. l. c. pag. 534 sqq. Zirnd. l. c. pag. 52. 55. Wilam. Analect. Eur. pag. 153.

[4]) Dicit enim l. c. pag. 534 adn. 209: „Euripides greift der Wirklichkeit vor, wenn er den Abschluss des Bündnisses erwähnt."

[5]) Cf. Suppl. v. 1191 sqq. Thuc. V 47. Boeckh. l. c. pag. 189. Hartung. l. c. II pag. 81. Bergk. l. c. pag. 534 adn. 209.

conscriptam esse, sed poetam foederis condiciones cognitas habuisse, quas ut ore Minervae populo probaret Alcibiadem cum eo communicasse conici licet.

Ex altera autem parte Euripides non prius de foedere commendando cogitare potuit, quam pax Niciana labefactata esset, cum Spartani Panacto deleto Amphipolim reddere recusantes contra pacis pacta cum Boeotis societatem iungerent, sive cum Athenis id comperissent, i. e. ineunte mense Elaphebolione. Post id tempus ergo et ante Munichionem, quo mense foedus cum Argivis factum esse demonstravimus, fabula acta est, scilicet Dionysiis magnis anni 420 [1]), a die nono usque ad diem quintum decimum Elaphebolionis celebratis, quibus per tres dies ludi scaenici agebantur [2]).

G. Hermannus praesentibus Argivorum legatis fabulam actam esse coniecit, cui adstipulatus est Bergkius [3]). Et suo iure opinor. Nam si fabulae tempus recte statuimus, etiam legatos spectaculo adfuisse manifestum est, cum ἅμα τῷ ἦρι i. e. initio Elaphebolionis Athenas venissent et etiam Munichione adessent [4]); alienarum civitatum legatos autem diebus festis Athenis versantes ludis interesse usitatum erat [5]). Neque argumentum fabulae huic sententiae obstat. Nam Theseum Argivos adhortari ne unquam beneficii accepti obliviscerentur, deosque testes invocari, id quod Hauptium opponere miror [6]), nescio an nihil habeat offensionis. Cum enim Argivi modo tam inconstantes et infirmos se ostendissent, ut immi-

---

1) Idem tempus statuit Boeckh. l. c. pag. 188 sq. quem secuti sunt Hermann. l. c. pag. III sq. Zirndorf. l. c. pag. 55. Hart. l. c. II pag. 81 sqq. Bernhardy. Hist. litt. Graec. l. c. pag. 467. Bergk. l. c. pag. 534. Contra Barnesius, cui adstipulati sunt Marklandus et Jacobsius, fabulam tertio anno Olymp. 90 adscripsit; sed hunc iam Boeckh. et Zirndorfer. redarguerunt. Maxime autem improbandus est annus 410, quo Hauptius l. c. II. pag. 8 sq. fabulam actam esse vult, nimirum tragoediae cum rebus publicis coniunctionem omnino neglegens. In tempus a nobis statutum etiam rei metricae conformatio, qualem in Supplicibus invenimus, convenit. Cf. Herm. l. c. pag. IV. Rumpel. Philol. XXIV pag. 408 sqq.

2) Cf. Mommsen. l. c. pag. 387 sqq.

3) Cf. Herm. l. c. pag. IV. Bergk. l. c. pag. 534.

4) Cf. Thuc. V 46, 5.

5) Cf. Cicer. Senect. § 63. Momms. l. c. pag. 390.

6) Cf. l. c. II pag. 8.

nente periculo foederis cum Mantinensibus et Eleis paulo ante facti immemores suum ipsorum tantum commodum quaererent, quid mirum eos poetam ore Minervae monere, ut ius iurandum servarent, minisque uti, si rumperent [1]? Haec non minus iusta erant quam quae Theseus Adrasto obicit [2]; si vero iusta, non erat cur Euripides iis abstineret. Namque cum legati, quos Argivi de foedere miserant, sine dubio a parte eorum starent, qui Alcibiadi faventes amicitiae Lacedaemoniorum obsistebant [3], nihil erat periculi ne convicia illa quae ad eorum adversarios pertinerent ipsi molestius ferrent. Accedit quod poetae haud valde intererat in Argivos praecipua indulgentia atque clementia uti, cum horum esset amicitiam petere, Atheniensium petentibus condonare. Denique non neglegendum esse mihi videtur poetam in utramque partem disputantem et quae causam Argivorum adiuvarent dicere neque ea quae contra dici possent silentio praeterire. Eo spectant verba chori v. 251 sq.

ἥμαρτεν· ἐν νέοισι δ᾽ ἀνθρώπων τόδε
ἔνεστι· συγγνώμην δὲ τῷδ᾽ ἔχειν χρεών.

Idemque verba Adrasti v. 253 sqq.

οὔτοι δικαστήν σ᾽ εἱλόμην ἐμῶν κακῶν
οὐδ᾽ εἴ τι πράξας μὴ καλῶς εὑρίσκομαι,
τούτων κολαστὴν κἀπιτιμητήν, ἄναξ,
ἀλλ᾽ ὡς ὀναίμην·

videntur valere, quibus eos redargui suspicamur, qui foederi nimis adversarentur.

His igitur locis minime adducimur, ut legatos Argivorum spectaculo interfuisse negemus. Immo vero totum fabulae argumentum cum sententia nostra optime convenit. Nam quod Atheniensium cunctatio infirmitate et inconstantia Argivorum excusatur [4], illorum potentia opesque tantopere praedicantur, Minerva praecipit

---

[1]) Cf. Suppl. v. 1194 sq. supr. cit. pag. 12.
[2]) Cf. Suppl. v. 220 sqq. infra cit. pag. 27.
[3]) Cf. E. Herodes. Politik von Argos im peloponnesischen Kriege. Progr. gymn. Halberst. 1866 pag. 27. Simili de causa brevi ante legatos Spartam miserant viros a Lacedaemoniorum partibus stantes. Cf. Thuc. V 40, 3.
[4]) Cf. quae infra disputabimus de v. 129 sqq. v. 187 sqq. pag. 23 sqq.

ne legati prius quam foedus icerint dimittantur[1]), eadem monet, ut Argivi ius iurandum servent: haec omnia qua ratione facilius atque rectius explicabis, quam si legatos Argivorum, ad quos permovendos ea spectabant, adfuisse posueris?

Simili modo atque in tragoediae fine etiam aliis locis illius foederis et rerum cum eo cohaerentium mentio fit.

1. Cum Adrastus Thesei auxilium implorat, hic irridens illum interrogat:

τὸ δ᾽ Ἄργος ὑμῖν ποῦ ᾽στιν; ἢ κόμποι μάτην;

ad quod Adrastus:

σφαλέντες οἰχόμεσθα. πρὸς σὲ δ᾽ ἥκομεν[2]).

Quae Thesei acerbissima verba cum vix ex ipsius fabulae argumento possint explicari, ad res eo ipso tempore factas referenda sunt[3]). Neque quo spectent dubitari potest. Cavillatur enim poeta vanitatem Argivorum, qui inani superbia tumentes paulo ante cum Lacedaemoniis de principatu contendere ausi essent, sed cum res praeter opinionem cessissent, aequo animo prorsus destituti fluctibus rerum modo huc modo illuc agitarentur[4]). Homines tam paulum sibi constantes dignissimi erant ludibrio, quo ne Thucydides quidem, auctor ille gravissimus, abstinet[5]).

2. Theseo interroganti:

ἰδίᾳ δοκῆσάν σοι τόδ᾽ ἢ πάσῃ πόλει;

respondet Adrastus:

πάντες σ᾽ ἱκνοῦνται Δαναΐδαι θάψαι νεκρούς[6]).

Qui non respicit nisi ipsam famam, quam traditam poeta accepit, vereor ne in his verbis offendat. Nam quid Theseo hanc dubita-

---

[1]) Cf. supra pag. 9 sq. Suppl. v. 1185 sqq.

[2]) Cf. ibid. v. 127. 128.

[3]) Cf. Zirnd. l. c. pag. 51. Hart. l. c. II pag. 88.

[4]) De causa huius infirmitatis Argivorum et de partium, quales tunc Argis erant, condicione vid. Bus. l. c. pag. 133 sqq. Schneiderwirth. Politische Geschichte des dorischen Argos. Heiligenst. Progr. 1865 pag. 33 sqq.

[5]) Cf. Thuc. V 40, 2. Bus. l. c. pag. 134.

[6]) Suppl. v. 129. 130.

tionem adferre poterat aut quid intererat, Adrastus privatim an publice venisset? Rectius igitur haec ad res publicas referimus. Sed quid sibi velint quamquam pro certo affirmare non audemus, tamen huc pertinere nobis videntur. Quod Argivi eodem tempore et cum Lacedaemoniis et cum Atheniensibus de foedere agebant, facile iis fidem haberi non posse ab adversariis obici poterat. Euripidem igitur ad excusandos Argivos illis verbis monere voluisse suspicor eorum legatos tunc Athenis versantes cum summa potestate et ex consensu universi populi venisse [1]), id quod legati Spartam missi de se praedicare non poterant. Nam his potestatem agendi, non faciendi foedus commissam fuisse ex iis quae Thucydides narrat cognoscitur. Legati enim quae Spartae pacti erant, ut a populo Argivorum rata fierent, domum rettulerunt, quod sine dubio non fecissent, si liberum iis fuisset arbitrium, cum et Lacedaemoniorum et optimatium Argivorum plurimum interesset foedus illud statim confici [2]). Neque minus in promptu est populum Argivum ut legatos Spartam mitteret tum demum, cum summo rerum discrimine premeretur, ab optimatibus esse impulsum, qui Lacedaemoniorum auxilio ad paucorum imperium rem publicam se revocaturos esse sperabant [3]).

Huius rei Athenienses suo tempore admoneri non erat inutile. Eodem fere modo etiam Aristophanes paulo ante civium suorum animos de explendis Nicianae pacis condicionibus confirmaverat. Cum enim inter Athenienses et Lacedaemonios convenisset, ut sorti committeretur, utra civitas loca bello capta prior redderet, Athenienses autem ne id sibi esset incommodo timerent, Nicias legatos

---

[1]) Ita rem se habuisse et ex rei publicae Argivorum statu ac forma et inde apparet, quod legati Athenas missi cum hac civitate foedus ipsi confecerunt confectumque a populo Argivorum ratum fieri opus non erat. Cf. Thuc. V 46 sq.

[2]) Cf. Thuc. V 41, 3 *ἐκέλευον δ' οἱ Λακεδαιμόνιοι, πρὶν τέλος τι αὐτῶν ἔχειν, ἐς τὸ Ἄργος πρῶτον ἐπαναχωρήσαντας αὐτοὺς δεῖξαι τῷ πλήθει, καὶ ἢν ἀρέσκοντα ᾖ, κτλ.* Ibid. 40, 3 *οἱ Λακεδαιμόνιοι . . . ἔπεμπον ὡς ἐδύναντο τάχιστα ἐς τὴν Λακεδαίμονα πρέσβεις Εὔστροφον καὶ Αἴσωνα, οἳ ἐδόκουν προσφιλέστατοι αὐτοῖς εἶναι, ἡγούμενοι ἐκ τῶν παρόντων κράτιστα πρὸς Λακεδαιμονίους σπονδὰς ποιησάμενοι, ὅπῃ ἂν ξυγχωρῇ, ἡσυχίαν ἔχειν.* Et ibid. 41, 3 *ἐπεθύμουν γὰρ* (sc. *οἱ Λακεδαιμόνιοι*) *τὸ Ἄργος πάντως φίλιον ἔχειν.*

[3]) Cf. Schneiderw. l. c. pag. 33. Bus. l. c. pag. 134.

Lacedaemoniorum corrupit, ut horum sors excideret. Cuius rei cum Nicias cives suos alio modo certiores facere non posset, Aristophanes — si quidem Gilbertum sequi licet — illo auctore comoediae quae „Pax“ inscribitur hos duos versus inseruit:

ΕΡΜ. ἀπόλωλας, ὦ κακόδαιμον.
ΤΡΥΓ. οὐκοῦν, ἢν λάχω.
Ἑρμῆς γὰρ ὢν κλήρῳ ποιήσεις οἶδ' ὅτι [1]).

Hoc autem eo veri similius esse dicit Gilbertus, quod illi versus in sensum totius loci minus quadrent et comoedia ipsa paucis diebus acta sit antequam pax Niciana conficeretur [2]).

3. Adrastus cur aliis civitatibus neglectis Athenas potissimum adierit hasce adfert causas [3]):

Σπάρτη μὲν ὠμὴ καὶ πεποίκιλται τρόπους,
τὰ δ' ἄλλα μικρὰ κἀσθενῆ· πόλις δὲ σὴ
μόνη δύναιτ' ἂν τόνδ' ὑποστῆναι πόνον·
τά τ' οἰκτρὰ γὰρ δέδορκε καὶ νεανίαν
ἔχει σὲ ποιμέν' ἐσθλόν· οὗ χρείᾳ πόλεις
πολλαὶ διώλοντ' ἐνδεεῖς στρατηλάτου.

Hoc loco poeta Argivorum conatus foedera cum Corinthiis Thebanis et postremo cum Spartanis faciendi dilucide designavit. Atque id secutus esse videtur, ut Spartanorum saevos vafrosque mores, reliquarum vero civitatum imbecillitatem commemorans illos conatus ut vanos reprehenderet neque quidquam aliud nisi ut societatem Atheniensium peterent Argivos facere posse moneret, Athenienses autem eosdem conatus aegre ferentes eo quod Adrastum ipsorum opes atque virtutes quam maxime laudantem facit Argivis reconciliaret [4]). Cumque in ipso fabulae argumento nihil sit causae cur Spartanis talia obiciantur, quamquam ad perfidiam qua in pacis condicionibus exsequendis usi erant apte referuntur, aptius tamen referri videntur ad ea quae brevi ante Spartanorum legati coram universo Atheniensium populo perfide atque falso egerant, in senatu

[1]) Cf. Arist. Pac. v. 364 sq.
[2]) Cf. Gilb. l. c. pag. 206 sqq.
[3]) Suppl. v. 187 sqq.
[4]) Vid. etiam Zirnd. l. c. pag. 53.

se cum liberis mandatis venisse dicentes, in contione negantes [1]. Neque quod ut ita facerent legati ab Alcibiade inducti erant iis excusationi esse poterat, immo Grotio adsentiendum esse censeo, eos perfidia atque temeritate sua opprobria permeritos esse, quae Spartanis a reliquis Graecis fieri solebant [2]. Ab honestis enim bonaeque fidei hominibus tam perfide et fraudulenter agere alienum esse nemo negabit.

Atque quae Adrastus in fine orationis suae, quam allegavimus, de Theseo praedicat, quamquam in universum personam Periclis in Thesei ingenio et moribus depingendis Euripidi ob oculos versatam esse facile cognoscimus [3], tamen ad Alcibiadem luculentissime spectant [4]. Quod ni ita esset, vix quisquam cur et hic et alibi Thesei iuvenilis aetas designaretur explicare posset [5]; Alcibiades autem eo ipso tempore non plus triginta annos natus magnam potentiam in civitate sibi acquisiverat: „ἀνὴρ ἡλικίᾳ μὲν ἔτι τότε ὢν νέος ὡς ἐν ἄλλῃ πόλει, ἀξιώματι δὲ προγόνων τιμώμενος“ [6]. Neque poetam id fecisse mirabimur, si reputaverimus tunc στρατηγοῦ munus Alcibiadem petivisse [7] et ipsi Euripidi cum eo necessitudinem fuisse [8]. Certa quidem memoria de amicitia horum virorum non prodita est; inde vero quod Socrates cum utroque familiaritate coniunctus fuit et Euripides anno 416 a. Chr. n. Alcibiadis Olympicam victoriam celebravit [9], satis certo colligere pos-

---

[1]) Cf. quae exposuimus pag. 18.

[2]) Cf. Grote. Hist. Graec. interpr. Germ. IV. pag. 39.

[3]) Vid. infra pag. 43.

[4]) Cf. Zirnd. l. c. pag. 53. Hart. l. c. II pag. 81. Hertzberg. Alcibiades der Staatsmann und Feldherr. Halle 1853. pag. 130. Schenkl. l. c. pag. 25 et adn. 59. Zastr. l. c. pag. 10. Bergk. l. c. pag. 535. Wilamow. Anal. Eurip. pag 77.

[5]) Cf. quem supra attulimus v. 190 et v. 580 ubi praeco Thebanus Theseo respondet:

. . . . . νῦν δ᾽ ἔτ᾽ εἶ νεανίας.

[6]) Thuc. V 43, 3.

[7]) Cum paulo post στρατηγὸς crearetur, eum tunc illud munus petivisse sequitur. Cf. Plut. Nic. X. Alc. XV. Gilb. l. c. pag. 14 sqq.

[8]) Cf. Wilamow. l. c. pag. 179. Schenkl. l. c. pag. 25.

[9]) Cf. Plut. Alc. XI, qui paucos illius carminis versus servavit. Vid. Hart. l. c. II pag. 80. Haud scio an nemo adsentiatur Hauptio, qui l. c. II

sumus etiam hos inter se coniunctos fuisse [1], praesertim cum indole studiisque haud dispares essent [2]. Atque in Supplicibus Euripidem cum Alcibiade de rebus publicis tam accurate consentire videmus, ut dubium non habeamus, quin ab eo poeta ad fabulam componendam impulsus sit [3]. Neque hoc mirum, cum Alcibiades summo opere foedus cum Argivis perficere studeret, minime autem ignoraret, quantum poeta, qui complures eiusmodi fabulas iam in scaenam commiserat [4], ad movendos civium animos valeret.

4. Gravissimus deinde est locus, quo Theseus Adrasto haec exprobrat:

ἧς καὶ σὺ φαίνει δεκάδος οὐ σοφὸς γεγώς,
ὅστις κόρας μὲν θεσφάτοις Φοίβου ζυγεὶς
ξένοισιν ὧδ᾽ ἔδωκας ὡς ζώντων θεῶν,
λαμπρὸν δὲ θολερῷ δῶμα συμμίξας τὸ σὸν
ἥλκωσας οἴκους· χρῆν γὰρ οὔτε σώματα
ἄδικα δικαίοις τὸν σοφὸν συμμιγνύναι,
εὐδαιμονοῦντας δ᾽ εἰς δόμους κτᾶσθαι φίλους.
κοινὰς γὰρ ὁ θεὸς τὰς τύχας ἡγούμενος
τοῖς τοῦ νοσοῦντος πήμασιν διώλεσε
τὸν οὐ νοσοῦντα κοὐδὲν ἠδικηκότα [5].

Theseus igitur in Adrastum invehitur, quod filias suas Tydeo et Polynici desponsans se suamque domum contaminaverit. Sed hoc opprobrium plane iniustum est neque ullam habet explicationem, si solas res fama traditas respicimus, quoniam Adrastus iussu Apollinis filias collocavisse ferebatur. Sive enim δῶμα legis sive Wilamowitzium secutus alteram codd. lectionem σῶμα mavis [6], illa verba quoquo modo ad generos Adrasti pertinent. Nam de

---

pag. 27 Plutarchum errasse dicit, nulla alia addita causa nisi quod Euripides ludos gymnicos non adamaverit.

[1]) Cf. Hertzb. l. c. pag. 130. Bergk. l. c. pag. 477. 484. Zastr. l. c. pag. 10.

[2]) Cf. Hertzb. l. c. pag. 130.

[3]) Cf. Zastr. l. c. pag. 10.

[4]) Velut Heraclidas et Andromacham.

[5]) Cf. Suppl. v. 220 sqq.

[6]) Cf. Anal. Eur. pag. 89.

reliquis principibus Argivis, quos Adrastus socios arcessivit, cogitare sententia prohibet, quod ii inferius separatim memorantur [1]), et verba de matrimonio dicta referri non possunt nisi ad eos, quos matrimonio, non quos foedere Adrastus sibi adiunxit. Sed etiamsi dubium esset, utrum de generis Adrasti an de reliquis principibus Argivis cogitari oporteret: quid quod iidem heroes, quorum societas Adrasto hoc loco crimini verteretur, si famam sequeremur de generis et filiarum matrimoniis nos cogitare vetantem, v. 859 sqq. ad unum omnes summis laudibus efferuntur? Quae cum ita sint, ad ipsius poetae tempora illum locum referendum esse censebimus. Ac recte quidem Hartungus Argivos iis pungi coniecit, quod priusquam Athenienses adissent cum horum adversariis, Corinthiis Thebanis Spartanis, se iungere conati essent [2]). Quantopere vero Atheniensium animi illis civitatibus, imprimis Thebanae, ob gravissimas causas essent infensi qui reputaverit, acerba poetae verba „*θολερῷ δῶμα συμμίξας ἤλκωσας οἴκους*“, „*σώματα ἄδικα*“, eaque quae sequuntur, deos fortunam communem arbitrantes bonos una cum malis perdere, facillime interpretabitur. Nam et civitates, quas nominavimus, malas se ostenderant et Argivi earum contagione re vera in summas angustias deducti erant [3]).

Quaeret fortasse quispiam, cum probare Argivorum causam poeta velit eosque aliis locis velut v. 250 sq. 253 sqq. 297 sqq. utique excusare studeat, quomodo fieri possit, ut eosdem et hoc loco et v. 127 sq. tam graviter corripiat. Sed praeterquam quod causam foederis ab Argivis petiti in utramque partem agit [4]), etiam singularis cogitari potest causa cur ita fecerit. Namque Argivos, qui quod Athenienses foedus non statim acceperunt, sed priusquam inirent Nicia auctore cum Spartanis in amicitiam redire studebant, atque adeo legatos de hac re Spartam miserant fortasse aegre ferebant, amicitiam Atheniensium appetentes de fide et constantia aliquo modo suspectos esse poeta monere in animo habuit

---

[1]) Cf. Suppl. v. 229 sqq.

[2]) Cf. Hart. l. c. II pag. 82.

[3]) Cf. quae supra explicavimus pag. 15 sqq.

[4]) Vid. supra pag. 22.

neque esse cur illi, quippe qui essent homines infirmo atque mutabili ingenio, de Atheniensium cautione et cunctatione conquererentur.

Idem fere in eo valere videtur, quod Theseum Argivos auxilium implorantes initio aspere repudiantem facit[1]; ita enim agere moribus Thesei, qualis in universa fabula apparet, omnino adversatur. Adde quod una denegati auxilii causa quam Theseus adfert multisque verbis exponit nihili fere est[2]; nam quod Argivi expeditionem contra Thebas invitis diis susceperunt eum minime exsolvere potest pietatis erga mortuos officio, id quod heros aliis locis ipse profitetur[3]. Cunctari ergo Theseum putamus, ut Athenienses foedus cum Argivis facere haud temere cunctantes excusari designentur.

5. Restant verba quibus Aethra Theseum filium, ne desit Argivis petentibus, impellit:

ὁρᾷς, ἄβουλος ὡς κεκερτομημένη
τοῖς κερτομοῦσι γοργὸν ὡς ἀναβλέπει
σὴ πατρίς; ἐν γὰρ τοῖς πόνοισιν αὔξεται[4]).

Quorum de emendatione quamquam alii aliud senserunt, tamen sententia plana est: „vides Athenas, quas vulgo tamquam inconsideratissimas cavillantur, cavillationes truci oculo contemnere“[5]). Atque Zirndorferus de iis ita fere iudicat, recte ad hunc locum Marklandum adnotavisse, „politicum aliquid huic sententiae subesse“, et sibi quidem ea verba ad idem tempus spectare videri, quo Athenienses a Lacedaemoniis, ut in foedere sancitum esset, Panactum quidem receperint, sed demum cum a Boeotis deletum esset, ita ut re vera κεκερτομημένη Atheniensium civitas dici potuerit[6]). Huius autem sententiam stare non posse vel ex iis quae sequuntur ἐν γὰρ τοῖς πόνοισιν αὔξεται satis elucet. Suo igitur iure Zirndorferi opinionem reiecit Guetzlaffius[7]), qui poetam

[1]) Cf. Suppl. v. 246 sqq.
[2]) Cf. quos supra citavimus v. 219 sqq.
[3]) Cf. v. supr. cit. 561 sqq.
[4]) Suppl. v. 321 sqq.
[5]) Cf. Wilamow. l. c. pag. 93. Hart. Eur. rest. II pag. 90. Id. Suppl. adn. ad v. 320.
[6]) Cf. Zirnd. l. c. pag. 54.
[7]) Cf. l. c. pag. 3.

Athenienses a temeritatis culpa defendere dicit. Quod autem idem vir doctus illa verba non referenda esse nisi ad ipsius fabulae argumentum opinatur, quoniam priscis temporibus Athenienses a multis temeritatis accusatos esse fama tulerit (adfert Isocr. Paneg. 14. Thuc. I 70) similesque loci etiam v. 576 sqq., Heraclid. v. 329 sqq. inveniantur [1]), equidem hoc ei concedere non possum. Quamquam enim in vulgarem quoque famam illa Aethrae verba aliquo modo quadrant, tamen melius convenire mihi videntur in res anno 420 gestas, neque fieri potuisse puto, quin Athenienses ea verba cum audirent ad foedus Argivorum referrent, quod multi tamquam inconsideratum dissuadebant. Mea igitur sententia poeta eos qui illud foedus agebant a temeritatis crimine defendere voluit, monens Atheniensium civitatem, quippe quae laboribus periculisque perferendis potentiam atque gloriam sibi paraverit, eorum qui temeritatem sibi obicerent opprobria contemnere.

Quoniam quo modo Euripides singulis locis foederis Argivorum rationem habuerit explicavi, reliquum est ut pauca dicenda esse videantur de iis quae Hauptius contra sententiam nostram disputavit [2]). Qui vir doctus fieri non potuisse dicit, ut Euripides, qui sit amantissimus pacis, foedus civibus suaderet, quo confecto quin bellum redintegraretur dubium non fuerit. Fuit sane pacis amantissimus Euripides; sed idem fuit amantissimus patriae. Aliud autem est pacem amare, aliud bellum ad salutem atque gloriam patriae necessarium dissuadere. Itaque decem fere annis ante, cum Pericles bellum contra Peloponnesios suscipiendum suaderet, ab huius viri partibus poetam stetisse Heraclidarum fabula docet [3]); ut vero tunc Periclis, ita hoc tempore Alcibiadis auctoritas ad Euripidis sententiam plurimum valuit. Atque ex illo foedere bellum oriturum esse licet ipse Euripides persuasum habuerit, nonne si neglectis Atheniensibus cum Lacedaemoniis Argivi foedus icissent idem fore persuasum habere debebat? Lacedaemonii enim quod Nicianam pacem violantes cum Boeotis foedus inierant, se pacem servare nolle satis demonstraverant eodemque foedere potentiam

---

[1]) Cf. l. c. ibid.

[2]) Cf. l. c. II pag. 8.

[3]) Cf. Bergk. l. c. pag. 517. 577

suam adeo auxerant, ut, si Argivos quoque sibi adiunxissent, bellum statim renovare potuerint. Hoc autem in animo iis fuisse vel inde apparet, quod ephoros belli studiosos in annum 420 creaverant [1]). Quoniam igitur, sive foedus Argivorum acciperent sive repudiarent Athenienses, bellum renovari verisimile erat, suo iure Euripides Argivos socios sibi adsciscere quam in hostium numero habere maluit, praesertim cum Argivorum civitas pari atque Atheniensium imperio regeretur et eo tempore opibus copiisque maxime floreret [2]).

Quae cum ita sint, non est causa cur Euripidem pacis amore permotum improbare Argivorum foedus debuisse iudicemus.

Ex iis, quae adhuc disputavimus satis apparet omnes illos locos, quibus foedus Argivorum tangitur vel commendatur, scilicet v. v. 1183—1195, 127—130, 184—192, 220—228, 321—325, ad eas res spectare, quas initio fere Elaphebolionis anni 420 vel paucis diebus ante factas esse vel tum Athenis innotuisse supra diximus. Inde autem duae res efficiuntur: et tempus actae fabulae a nobis recte definitum esse et fabulam ipsam, qualem nunc habemus, vel potius eos locos, quos memoravimus, non plus sedecim dierum spatio inter initium veris et Dionysia magna interiecto [3]) conscriptos esse. Sed ut tota fabula tam brevi tempore componi potuerit valde vereor. Zastra quidem cum Nicias ad temptandos Spartiatarum animos Lacedaemone versaretur, Euripidem ab Alcibiade impulsum fabulam docuisse et Nicia reverso in scaenam commisisse opinatur [4]). Haec autem sententia vel eo prorsus refellitur, quod Nicias 24. die Elaphebolionis Spartae versatus est, Dionysiis igitur nondum Athenas redierat [5]). Et licet concedas tam breve spatium ad fabulam ab archonte probandam atque admittendam et a poëta docendam suffecisse, quo tandem tempore eam hic com-

[1]) Cf. Thuc. V. 36, 1.

[2]) Cf. Diod. XII 75, 6. Bus. l. c. pag. 81 sqq. Thuc V 28, 2 *οἵ τε Ἀργεῖοι ἄριστα ἔσχον τοῖς πᾶσιν, οὐ ξυναράμενοι τοῦ Ἀττικοῦ πολέμου, ἀμφοτέροις δὲ μᾶλλον ἔνσπονδοι ὄντες ἐκκαρπωσάμενοι.*

[3]) Cf. supra pag. 19 adn. 1.

[4]) Cf. l. c. pag. 10.

[5]) Cf. Thuc. V 46, 4 et quae supra disputavimus pag. 18 sq.

posuit? Neque magis probandum est, quod Bergkius sentit, postquam Argivi cum Atheniensibus agere coeperint, Euripidem hanc fabulam ex tempore dispositam celeriter conscripsisse [1]). Licet enim quam facillime poeta tragoedias elaboraverit, tamen nemini in opinionem venturum spero, ut non plus sedecim diebus fabulam, et eam nequaquam neglegentius compositam [2]), elaborasse atque docuisse dicat. Et neque Bergkium neque Zastram ita iudicaturos fuisse puto, si illius temporis ratione subtilius exquisita sibi persuasissent, tam breve spatium inter res gestas, quae in fabula designantur, et Dionysia magna intercessisse.

Quid ergo statuendum videtur, cum complures loci fabulae medio fere Elaphebolione actae aperte ad res paucis summum diebus ante eiusdem mensis initium factas pertineant, tota fabula autem tam brevi temporis spatio conscripta esse nequeat?

Mea igitur sententia Euripides publicis rebus subito commutatis inserviens fabulam iam priore tempore conceptam retractandam sibi sumpsit eamque temporibus adaptavit. Liceat autem hoc loco in memoriam revocare quod in prima huius disputationis parte [3]) ex necessitudine quae fabulae cum rebus ad Delium factis intercedit collegimus, poetam statim ex eo tempore cum Athenienses in Thebanos ira vehementissima flagrarent hanc materiam tractasse, qua nihil tum aptius esse potuit. Sed alia sunt eaque gravissima, quae sententiam nostram comprobent. Compluribus enim locis immodicum belli studium vehementissimis verbis damnatur, velut a praecone Thebano:

ὅταν γὰρ ἔλθῃ πόλεμος εἰς ψῆφον λεώ,
οὐδεὶς ἔθ᾽ αὑτοῦ θάνατον ἐκλογίζεται,
τὸ δυστυχὲς δὲ τοῦτ᾽ ἐς ἄλλον ἐκτρέπει.
εἰ δ᾽ ἦν παρ᾽ ὄμμα θάνατος ἐν ψήφου φορᾷ,
οὐκ ἄν ποθ᾽ Ἑλλὰς δοριμανὴς ἀπώλλυτο [4]).

---

[1]) Cf. l. c. pag. 534.

[2]) Cf. Bernhard. l. c. pag. 466. Bergk. l. c. pag. 537 sqq. O. Mueller. Hist. litt. Graec. II pag. 133. G. Hermann. Suppl. praef. pag. IV. Rumpel. Philolog. XXIV pag. 408 sqq., qui ex numero solutionum, quas poeta in trimetris admisit, severioris artis tragoediis Supplices adscribendas esse demonstravit.

[3]) Vid. sup. pag. 12.

[4]) Suppl. v. 481 sqq.

deinde ab Adrasto, qui postquam se ipsum accusavit, quod aequas pacis condiciones ab Eteocle oblatas respuens bellum parasset, haec exclamat:

ὦ κενοὶ βροτῶν,
τὸ τόξον ἐντείνοντες οἳ καιροῦ πέρα,
καὶ πρὸς δίκης γε πολλὰ πάσχοντες κακά,
φίλοις μὲν οὐ πείθεσθε, τοῖς δὲ πράγμασι·
πόλεις τ᾽ ἔχουσαι διὰ λόγου κάμψαι κακά,
φόνῳ καθαιρεῖσθ᾽, οὐ λόγῳ, τὰ πράγματα [1]).

Recte autem Hartungus coniecisse mihi videtur his verbis Athenienses peccati paulo ante commissi admoneri, „qui cum Cleoni homini ambitioso mallent quam amicis patriae obtemperare, nimium intendentes arcum fregerint, et cum prudenter consulentes audire noluissent, eventu docti doluerint“ [2]).

Eiusdem Adrasti deinde sunt haec verba:

ὦ ταλαίπωροι βροτῶν,
τί κτᾶσθε λόγχας καὶ κατ᾽ ἀλλήλων φόνους
τίθεσθε; παύσασθ᾽, ἀλλὰ λήξαντες πόνων
ἄστη φυλάσσεθ᾽ ἥσυχοι μεθ᾽ ἡσύχων [3]).

Neque aliud de belli calamitatibus, quae in chori quoque canticis deplorantur [4]), est iudicium Thesei, qui Adrasto in Thebis expugnandis florem iuventutis Argivae cecidisse dicenti respondet [5]):

τοιαῦθ᾽ ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται,

neque bellum suscipit nisi necessitate coactus, id quod ipse his verbis praedicat:

---

1) Ibid. v. 744 sqq.

2) Cf. Hart. Eur. rest. II pag. 97.

3) Suppl. v. 949 sqq.

4) Ibid. v. 955 sqq.

5) Ibid. v. 119.

πόλεμον δὲ τοῦτον οὐκ ἐγὼ καθίσταμαι,
ὃς οὐδὲ σὺν τοῖσδ᾽ ἦλθον εἰς Κάδμου χθόνα.
νεκροὺς δὲ τοὺς θανόντας, οὐ βλάπτων πόλιν
οὐδ᾽ ἀνδροκμῆτας προσφέρων ἀγωνίας,
θάψαι δικαιῶ, τὸν Πανελλήνων νόμον
σώζων [1]).

Simili denique modo atque belli calamitates praeco detestatur, idem pacis bona summis laudibus celebrat [2]):

ὅσῳ τε πολέμου κρεῖσσον εἰρήνη βροτοῖς·
ἣ πρῶτα μὲν Μούσαισι προσφιλεστάτη,
γόοισι δ᾽ ἐχθρά, τέρπεται δ᾽ εὐπαιδίᾳ,
χαίρει δὲ πλούτῳ. ταῦτ᾽ ἀφέντες οἱ κακοὶ
πολέμους ἀναιρούμεσθα καὶ τὸν ἥσσονα
δουλούμεθ᾽ ἄνδρες ἄνδρα καὶ πόλις πόλιν.

Quas belli detestationes belli acerrimi, non vigentis pacis tempus indicare suo iure dicit Guetzlaffius [3]). Neque minus in idem tempus quadrant convicia, quae identidem in iuvenes et contionatores conferuntur, ut a Theseo [4]):

εἶτ᾽ ἀτιμάσας
βίᾳ παρελθὼν θεοὺς ἀπώλεσας πόλιν,
νέοις παραχθείς, οἵτινες τιμώμενοι
χαίρουσι πολέμους τ᾽ αὐξάνουσ᾽ ἄνευ δίκης,
φθείροντες ἀστούς, ὃ μὲν ὅπως στρατηλατῇ,
ὃ δ᾽ ὡς ὑβρίζῃ δύναμιν εἰς χεῖρας λαβών,
ἄλλος δὲ κέρδους εἵνεκ᾽, οὐκ ἀποσκοπῶν
τὸ πλῆθος εἴ τι βλάπτεται πάσχον τάδε —,

---

[1]) Ibid. v. 522 sqq.

[2]) Ibid. v. 488 sqq.

[3]) Cf. l. c. pag. 56.

[4]) Suppl. v. 230 sqq.

et ab ipso Adrasto[1]):

νέων γὰρ ἀνδρῶν θόρυβος ἐξέπληξέ με·

qui eosdem iuvenes quod dedecorent patriae famam ita arguit[2]):

ἐπεί τοι κοὐδὲν αἰτία πόλις
κακῶς κλύουσα διὰ κυβερνήτην κακόν[3]).

Quae omnia minime convenire mihi videntur in annum 420; an poetam haec eodem tempore scripsisse existimamus, quo consilia Alcibiadis, quem ipsum iuvenem perspicue designat, populo vellet probare? Cui viro tum quidem munus στρατηγοῦ petenti nihil certe potuit magis offensioni atque incommodo esse quam illa crimina et imprimis quae citavimus verba Thesei ὁ μὲν ὅπως στρατηλατῇ. Denique quod populi turbulentos adsentatores vehementer exagitat et iis sub Thesei persona imaginem atque rem publicam Periclis consulto opponit[4]), nonne hoc factum esse censebimus, cum civitas ab istius generis hominibus turbaretur eorumque temeritate meliorum temporum memoria excitaretur? Itaque haec omnia optime conveniunt in annum 424, quo Athenienses magno proelio a Thebanis victi sunt et Cleo, unus omnium populi turbatorum insolentissimus atque audacissimus, maxima auctoritate floruit.

Quid vero Euripidem adduxerit ut fabulam tunc inceptam abiceret quamquam compertum non habemus, tamen non sine aliqua veritatis specie suspicari nobis licet. Paulo enim post pugnam apud Delium factam Athenienses et Lacedaemonii indutias inierunt, ex quibus diuturnam pacem orituram esse pacis amantes sperabant[5]). Sed cum Lacedaemoniis in Thracia bellare perseverantibus haec spes Athenienses falleret pacis tum cupidissimos, Euripidem, quem priore tempore belli Peloponnesiaci omnino ex rerum publica-

---

[1]) Ibid. v. 160.
[2]) Ibid. v. 879 sq.
[3]) Cf. etiam v. 737 sqq. et quos supra citavimus v. 744 sqq.
[4]) Vid. infra pag. 43.
[5]) Cf. Thuc. IV 117. Beloch. l. c. pag. 43 sq.

rum condicione fabularum argumenta elegisse constat[1], omissis Supplicibus Andromacham scripsisse verisimile est, quae fabula ira odioque in Spartanos abundat et, ut Bergkius demonstravit, anno 422 acta est[2].

Sed utcunque res se habet, fabulam nonnullis annis ante conceptam anno 420 iterum tractavit, ut argumento huic tempori accommodato foedus Argivorum commendaret. Huic consilio autem illa quam aptissima erat, cum utriusque temporis condicio eadem fere esset. Namque Thebanis Athenienses anno 420 non minus infensi erant[3] quam anno 424; et sicut brevi post pugnam ad Delium commissam cum Spartanis indutias fecerant, ita etiam tum cum iisdem pacem habebant, ad quam servandam eo ipso tempore Nicias Spartae agebat. Ex quo rerum statu etiam facile explicatur, cur Euripides in Lacedaemonios non acrius invectus sit in hac fabula, quoniam dubium erat, quid illi in animo haberent, utrum Niciae obtemperarent necne[4]. Neque in Argivos fabula, qualem antea scribere instituerat, infensi animi speciem prae se ferre potuit. Itaque levi mutatione opus erat, ut eadem fabula temporibus paululum mutatis serviret.

Quod si recte coniecimus, mirum non potest videri, quod in omnibus fere locis, quos ad res publicas anni 420 pertinentes tunc poetam inseruisse statuimus, viri docti alii aliis de causis offenderunt. Ad contextum et continuitatem enim dramatis vix unus ex illis locis necessarius est, complures sensum plane turbant, ita ut postea eos insertos esse extra omnem dubitationem positum sit.

---

[1]) Cf. Wilamow. l. c. pag. 178 sqq.

[2]) Cf. Herm. XVIII pag. 487 sqq.

[3]) Propter foedus ab iis cum Lacedaemoniis initum et excidium Panacti, quod oppidum ut integrum Atheniensibus restitueretur Nicianae pacis sponsionibus statutum erat. Cf. Thuc. V 42, 2 et quae supra diximus pag. 16 sq.

[4]) Cf. Bergk. l. c. pag. 535. — Uno tantum loco v. 187 in eos invehitur, sed illud perfidiae crimen proxime ante actam fabulam propter legatorum Spartanorum perfidum facinus eum addidisse supra demonstrare conati sumus. Cf. pag. 18. 25.

Atque in Adrasti oratione v. 163—192, cuius magnam partem ad res publicas spectare vidimus, v. v. 177. 178 suspectos habent Bothius Ribbeckius[1]) Gebhardtius[2]), v. 176—179 Wilamowitzius[3]), v. 180—183 Hartungus[4]), v. 176—183, 190—192 Nauckius[5]), totum denique locum v. 176—192 G. Dindorfius[6]). Neque magis ea quae Theseus respondet viris doctis probata sunt. Etenim v. v. 199. 200 in suspicionem vocaverunt Nauckius et Schmidtius[7]), v. 205—210 Ribbeckius[8]), v. 214 usque ad vocem τοιαύτην Mekler[9]): scilicet omnes eadem de causa, quod miro modo ii versus langueant. At recte Gebhardtius animadvertit, non modo eos versus, sed totam orationem usque ad v. 216 languere, qua res a dramatis actione prorsus alienae nimia loquacitate tractentur[10]). Wilamowitzius v. 222—228 post v. 245 transtulit, ubi manifesto hiare sententiam dicit[11]). Quem redarguit Rud. Prinzius[12]), quod eo loco etiam minus quadrent quam quo codices eos exhibeant. V. 238—245 denique suspectos reddidit K. S.[13]).

Sed in omnibus illis locis minus offendet, qui sententiam a nobis explanatam secutus poetam immutasse priorem fabulae formam, alios versus rerum publicarum causa, alios, ut illi melius cum reliqua fabula coagmentarentur, inseruisse posuerit. Nam cum in mutanda fabula minus tragicae artis quam rerum publicarum rationem haberet, accidit ut loci additi in ipsius tragoediae sensum non satis quadrarent. Interpolatori autem tribui non possunt. Quid

---

1) Cf. Mus. Rhen. XXXI pag. 624.
2) Cf. De Supplic. Eurip. interp. pag. 13.
3) Cf. l. c. pag. 86.
4) Cf. Eur. Suppl. ed. Hart. Lips. 1853 adn. ad v. 180.
5) Cf. Eur. Suppl. ex rec. Aug. Nauck. Lips. 1873.
6) Cf. Eur. trag. ex rec. G. Dindorf. Lips. 1869.
7) Cf. Mus. Rhen. XXIII pag. 440.
8) Cf. Mus. Rhen. XXXI pag. 622.
9) Cf. Gebh. l. c. pag. 13.
10) Cf. ibid. pag. 14.
11) Cf. l. c. pag. 89.
12) Cf. Jen. Litt. Z. 1877 Nr. 387.
13) Cf. Philol. Anz. VI 392.

enim impulisse interpolatorem putamus, ut tales potissimum locos insereret, qui ad res publicas anni 420 pertinerent? Hic in addendis his locis certe sua ipsius non alia tempora respexisset. Cum autem omnes res anno 420 factas luculente respiciant, et eodem anno et ab ipso Euripide eos scriptos esse sequitur.

Aliquo modo cum sententia nostra congruunt quae G. Hermannus et Gebhardtius[1]) de indiciis iteratae recensionis disputarunt. Sed ea cum illi viri docti suo quisque loco satis exposuerint repetere atque diiudicare supersedeo.

[1]) Cf. Suppl. praef. pag. V. Gebh. l. c. pag. 5. 42. 45.

III.

Ad consilium poetae foedus Argivorum suadendi quodam modo etiam pertinent singulares illae et huic fabulae maxime propriae disputationes de optima rei publicae forma, de partium studiis, de virtutibus boni civis atque gubernatoris, quae quidem disputationes in Thesei Adrasti caduceatoris Thebani orationibus latissime patentes ab heroici temporis moribus abhorrent neque rebus in fabula gestis aut gerendis ulla ratione conveniunt[1]).

Ac de civium partibus quid senserit clarissimis verbis explicavit v. 238—245:

τρεῖς γὰρ πολιτῶν μερίδες· οἱ μὲν ὄλβιοι
ἀνωφελεῖς τε πλειόνων τ᾽ ἐρῶσ᾽ ἀεί.
οἱ δ᾽ οὐκ ἔχοντες καὶ σπανίζοντες βίου,
δεινοὶ νέμοντες τῷ φθόνῳ πλέον μέρος
εἰς τοὺς ἔχοντας κέντρ᾽ ἀφιᾶσιν κακά,
γλώσσαις πονηρῶν προστατῶν φηλούμενοι·
τριῶν δὲ μοιρῶν ἡ ᾽ν μέσῳ σώζει πόλεις,
κόσμον φυλάσσουσ᾽ ὅντιν᾽ ἂν τάξῃ πόλις.

Totam igitur patriae salutem positam esse dicit in ea civium parte, quae medium teneat inter extremas factiones pariterque aliena ab optimatium avaritia et multitudinis libidinosa invidia ordinem civitatis servando ipsam civitatem servet. Ab hac autem parte, cuius de re publica sententiam etiam Thucydides sequendam

---

[1]) Cf. Bergk. l. c. pag. 535 sq.

censet compluribusque locis laudat [1]), stabant cives modesti atque considerati (*οἱ σώφρονες* Thuc. IV 28, 5), qui a licentiis vulgi per turpes contionatores depravati non minus quam ab optimatium dominatu aversi moderatum populi imperium volebant (*τὰ μέσα τῶν πολιτῶν* Thuc. III 82, 8) [2]), homines mediocri vitae condicione utentes, imprimis rustici et maiores natu. Qui cum diuturno bello magis reliquis civium partibus vexarentur, quamquam patriae dignitatem imminui nolebant, paci tamen summopere studebant [3]). Huic ergo parti Euripides optimum quemque adscriptum esse voluit, extremarum factionum studia improbavit [4]). Optimatibus quidem mirum in modum pepercit, et consulto pepercisse videtur, sive quod tunc quieti erant et cur reprehenderentur causa non erat [5]), sive quod Alcibiades ipse, nobilissimo loco natus, ex iis erat. Neque loco supra allato, ubi de tribus civium partibus sermo est, genere nobiles, sed divites multitudini opponuntur [6]); atque si Euripides optimates pungere voluisset, certe non de tyrannidis, sed de paucorum imperii incommodis Theseum contra praeconem Thebanum disputantem fecisset, praesertim cum Thebani eo tempore non unius sed paucorum potestate regerentur.

Eo vehementius autem in dissolutum vulgus eiusque turbatores invehitur: „Vanis sermonibus hominum, qui sibi, non communi saluti consulant, inflatam multitudinem huc illuc verti, esse mo-

---

[1]) Cf. Thuc. ed. Io. Matth. Stahl. Lips. 1873 ed. ster. praef. pag. XVIII B sqq.

[2]) Cf. Stahl. l. c. pag. XX B.

[3]) Cf. Plut. Nic. c. IX *τοὺς μὲν οὖν εὐπόρους καὶ πρεσβυτέρους καὶ τῶν γεωργῶν τὸ πλῆθος αὐτόθεν εἰρηνικὸν εἶχεν.* — Gilb. l. c. pag. 205 sqq. Bus. l. c. pag. 95. Schenkl. l. c. pag. 32.

[4]) Cf. Eur. fab. frgm. 21:

δοκεῖτ᾽ ἂν οἰκεῖν γαῖαν, εἰ πένης ἅπας
λαὸς πολιτεύοιτο πλουσίων ἄτερ;
οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακά,
ἀλλ᾽ ἔστι τις σύγκρασις, ὥστ᾽ ἔχειν καλῶς.

Vid. Schenkl. l. c. pag. 33. Bergk. l. c. pag. 578.

[5]) Cf. Hertzb. l. c. pag. 79 sqq. Beloch. l. c. pag. 2 sqq.

[6]) Cf. Beloch. l. c. pag. 2.

bilem atque inconstantem, quique modo ei gratissimus fuerit, subito in eius invidiam incidere; in contionibus eam rhetorum artibus temere adsentiri neque orationes diiudicare, cum de summis rebus consilia capiat" [1]). His verbis, etsi praeconis Thebani sunt popularis imperio inimici, tamen Euripidis ipsius sententiam declarari vel inde patet, quod ea a Theseo non refelluntur similiaque convicia etiam aliis personis tribuuntur, imprimis de temerariis populi adsentatoribus et iuvenibus pecuniae gloriaeque cupidis, qui sui commodi causa cives perdant et patriae famam apud exteros dehonestent [2]).

Effrenatum vulgus cum tali modo patriae sit perniciei atque dedecori, optime omnium saluti consulitur, si moderatorum civium parti re publica commissa penes bonos et cives et duces potentia est. Et qualis bonus civis esse debeat, diserte expositum reperimus in Adrasti laudatione funebri, quam non pro heroici temporis ratione [3]), sed ut exempla imitanda civibus proponerentur conscriptam esse ex ipsius orationis fine clarissime elucet [4]). Quod Theseus moderatos cives ordinem rei publicae (*κόσμον ὅντιν᾽ ἂν τάξῃ πόλις*) servare dixit, Adrastus hic explicat, quae virtutes bonis civibus exercendae sint ad ordinem illum servandum: „Bonum civem, si fortunis sit ornatus, non insolentem divitias iactare, sed non ignorantem mediocria sufficere conviviis et voluptatibus modice frui neque maiores quam virum pauperem animos gerere; esse verum amicum amicis, et absentibus et praesentibus, comem erga cives et servos. Si vero pauper sit, tamen dona aliorum respuere, ne pecunia obstrictus serviles ostendat mores. Iniuria lacessitum non civitatem, sed eos qui nocuerint odio persequi, quoniam civitati culpae verti non possit, si malorum ducum facinoribus diffametur.

---

[1]) Cf. Suppl. v. 412—425.
[2]) Cf. verba Adrasti v. 160. 879 sq. Thesei v. 231 sqq.
[3]) Cf. Bergk. l. c. pag. 536 adn. 221. Hart. Eur. rest. II pag. 98 sq.
[4]) Cf. Suppl. v. 913 sqq.

. . . ἡ δ᾽ εὐανδρία
διδακτός, εἴπερ καὶ βρέφος διδάσκεται
λέγειν ἀκούειν τ᾽ ὧν μάθησιν οὐκ ἔχει.
ἃ δ᾽ ἂν μάθῃ τις, ταῦτα σώζεσθαι φιλεῖ
πρὸς γῆρας. οὕτω παῖδας εὖ παιδεύετε.

A prima pueritia bonum civem ita excolere mentem et corpus, ut aliquando patriae prodesse possit[1]). Pari modo autem atque cives etiam peregrinos bene cupere communi saluti oportere; itaque nemini molestos aut invidiosos esse, nunquam verbis litigare, id quod et peregrinos et cives faciat intolerabiles. Periculo patriae imminente libenter ad bellum proficisci, et victoria parta gaudere, aegre ferre acceptam cladem" [2]).

Tales igitur cives esse debent; verum etiam duci eodem animo moderato atque considerato opus est. Cuius summam virtutem positam esse disputat in prudentia et bono consilio, quarum virtutum expertes iam multi duces perierint. Itaque Theseus Adrasto dicit[3]):

εὐψυχίαν ἔσπευσας ἀντ᾽ εὐβουλίας,
ὃ δή γε πολλοὺς ὤλεσε στρατηλάτας.

Et similiter praeco[4]):

σφαλερὸν ἡγεμὼν θρασὺς
νεώς τε ναύτης· ἥσυχος καιρῷ σοφός.
καὶ τοῦτό τοι τἀνδρεῖον, ἡ προμηθία.

Melius autem quam verbis ipso Thesei exemplo, quo modo dux circumspectus rem gereret, poeta docuit[5]), Ille enim non temere bellum capessit, sed postquam causam iustam esse cognovit[6]) et rem per gratiam componere frustra conatus est[7]); quin acie iam instructa iterum aequas condiciones hostibus offert[8]). Tum deorum auxilio implorato in proelium progreditur, in pugnantium tumultu nunquam animo conturbatus, et ipse vincere sciens et cedentibus

---

1) Cf. Suppl. v. 861 sqq.
2) Cf. ibid. v. 888 sqq.
3) Ibid. v. 161 sq.
4) Ibid. v. 508 sqq.
5) Cf. Schenkl. l. c. pag. 54.
6) Cf. Suppl. v. 524 sqq. quos sup. cit.
7) Cf. ibid. v. 346 sqq.

εἶμι καὶ νεκροὺς ἐκλύσομαι
λόγοισι πείθων· εἰ δὲ μή, βίᾳ δορός

8) Cf. ibid. v. 668 sqq.

suo tempore auxilium ferre [1]). Victoria comparata in victos se generosum modestumque praestat [2]).

Haec igitur est imago, quam de optima rei publicae forma Euripides expressit. Recte autem animadvertit Hartungus, tamquam exemplar ei ob oculos versatam esse Periclis administrationem [3]). Neque hoc solum videtur statuendum: ipse Theseus summi illius viri simillimus est. Etenim non heroici temporis moribus regia potestate indutus est, sed liberi populi princeps, qui ipse civibus libertatem concessit [4]). Neque quidquam maius suscipit iniussu populi, populus autem principis virtute tantopere confidit, ut quae et quia ille postulaverit decernat [5]). Quamvis pacis studiosus Theseus belli calamitates detestetur, tamen periculum sibi imponere non cunctatur, quod iure patriaeque dignitate requiri videatur.

Quibus Thesei moribus et rebus gestis quis est quin admoneatur ea quae Thucydides de Periclis administratione tradidit? Cuius haec sunt verba [6]): „*ἐκεῖνος μὲν δυνατὸς ὢν τῷ τε ἀξιώματι καὶ τῇ γνώμῃ χρημάτων τε διαφανῶς ἀδωρότατος γενόμενος κατεῖχε τὸ πλῆθος ἐλευθέρως, καὶ οὐκ ἤγετο μᾶλλον ὑπ' αὐτοῦ ἢ αὐτὸς ἦγε, διὰ τὸ μὴ κτώμενος ἐξ οὐ προσηκόντων τὴν δύναμιν πρὸς ἡδονήν τι λέγειν, ἀλλ' ἔχων ἐπ' ἀξιώσει καὶ πρὸς ὀργήν τι ἀντειπεῖν. ὁπότε γοῦν αἴσθοιτό τι αὐτοὺς παρὰ καιρὸν ὕβρει*

---

1) Cf. ibid. v. 591 sqq. 707 sqq.

2) Cf. ibid. v. 723 sqq.

παρὸν δὲ τειχέων εἴσω μολεῖν
Θησεὺς ἐπέσχεν· οὐ γὰρ ὡς πέρσων πόλιν
μολεῖν ἔφασκεν, ἀλλ' ἀπαιτήσων νεκρούς

3) Cf. l. c. II pag. 91. Suppl. praef. pag. 5 sq.

4) Cf. Suppl. v. 352 sq.

καὶ γὰρ κατέστησ' αὐτὸν εἰς αὐταρχίαν
ἐλευθερώσας τήνδ' ἰσόψηφον πόλιν.

(Cod. *εἰς μοναρχίαν*, corr. Otto Hense. Exercit. crit. Hal. 1868 pag. 11.)

5) Cf. Suppl. v. 349 sqq.

δόξαι δὲ χρῄζω καὶ πόλει πάσῃ τόδε.
δόξει δ' ἐμοῦ θέλοντος· ἀλλὰ τοῦ λόγου
προσδοὺς ἔχοιμ' ἂν δῆμον εὐμενέστερον.

6) Cf. II 65, 8.

θαρσοῦντας, λέγων κατέπλησσεν ἐπὶ τὸ φοβεῖσθαι, καὶ δεδιότας αὖ ἀλόγως ἀντικαθίστη πάλιν ἐπὶ τὸ θαρσεῖν. ἐγίγνετό τε λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή." Quibus lectis comparatisque cum iis quae Euripides Theseum dicentem et gerentem facit, nemo non videbit poetam et rerum scriptorem ita consentire, ut poeta ad Periclis mores et facta Thesei imaginem finxisse iudicandus sit.

Iam si quaerimus, quare in hac quidem fabula suam de rei publicae forma ac disciplina sententiam protulerit, foederis Argivi causa, in quo summa totius fabulae vertatur, id factum esse haud difficile est intellectu. Nam cum Argivi paulo ante Boeotorum amicitiam sibi parare studuissent, Athenienses vero ambigerent, utrum pacem cum Spartanis initam servarent cumque Thebanis in gratiam redirent an potius Argivorum societatem sequerentur, poeta et cives suos et Argivos monitos voluit Thebanos paucorum imperio oboedientes neque Atheniensium neque Argivorum, quippe qui populari imperio parerent, veros amicos esse posse, Athenienses autem atque Argivos ipsa rei publicae forma ad societatem intimam adduci. Neque alia fuit causa, cur eorum studia laudibus efferret, qui moderato populi imperio studebant. Namque horum consensu et auxilio Nicias pacem cum Lacedaemoniis fecerat[1]), hos igitur a Nicia avertere sibique conciliare debuit is, qui illam pacem dirimere et ad Argivorum foedus Athenienses perducere volebat. In huius partis solius potestate erat, foedus illud fieret necne; optimates enim in acquirenda vel conservanda Lacedaemoniorum amicitia semper sibi constabant neque ei consilio conciliari poterant[2]), multitudinem in res novas utique prolixam conciliari opus non erat[3]). Ita autem moderatis civibus non solum adsensit, sed horum causa in conscribenda fabula etiam omnia consulto vitasse videtur, quae eorum animos offenderent. Euripidis enim tragoedias perlustranti ubique occurrunt libera illa atque aspera de rebus summis tam divinis quam humanis iudicia multitudinis opinioni prorsus contra-

---

[1]) Cf. Plut. Nic. IX.

[2]) Cf. Hertzb. l. c. pag. 79.

[3]) Cf. Bus. l. c. pag. 95. Beloch. l. c. pag. 14.

ria, quae haud raro spectatorum iram excitavisse notissimum est[1]). Tales autem sententiae in Supplicum fabula nusquam leguntur; immo summa verecundia de deorum potentia et benignitate, de oraculis et vaticiniis, de mulierum virtutibus loquitur, quae omnia aliis in fabulis data facultate in dubium vocare non veretur[2]). Si nihil fecisset nisi ut inique iudicare de iis rebus omitteret, iure miraremur; quod vel praedicavit maxime mirum est. Ac Bergkius quidem ex Aeschyleae artis imitatione id explicare posse sibi visus est[3]). Sed omnes reliquas fabulas, quae non minus ad Aeschyli artem accedunt vel potius pari intervallo ab ea distant, similibus sententiis abundare[4]) qua ratione explicatur? Alia igitur causa fuerit necesse est; ac mea sententia Euripides libera sua iudicia moderatis et consideratis potissimum civibus offensioni esse cum non ignoraret, in hac fabula ab iis abstinuit, ne eosdem offenderet, quos in suas partes ducere volebat.

His expositis satis intellectum puto, quo modo Euripides in Supplicibus tempora sua respexerit. Sed ut ea quae disputavi paucis complectar, haec mihi videor evicisse: Fabulae materiam Euripides statim post cladem ad Delium acceptam elegit, ut Thebanorum impietatem atque iniuriam castigaret, Atheniensium vero pietate potentiaque celebranda patriae gloriam augeret et cives suos de accepta iniuria consolaretur meliorisque fortunae spem iis faceret. Fabulam tunc quidem aliqua de causa sepositam anno 420 ad foedus Argivorum commendandum retractavit magnisque Dionysiis in scaenam produxit, idque ut videtur auctore Alcibiade. In iteranda autem fabula illius foederis causa non solum eos locos, qui clarissime ad res Argivorum spectant, fabulae inseruit, sed etiam

---

[1]) Cf. Schenkl. l. c. pag. 45. Haupt. l. c. I pag. 1 sqq. Bergk. l. c. pag. 568.

[2]) Cf. v. 155 sqq. 159. 201 sqq. 211 sqq. 229 sqq. 301 sqq. 610 sqq. 626 sqq. 734 sqq. 294. 1101 sqq.

[3]) Cf. Bergk. l. c. pag. 537.

[4]) Cf. Schenkl. l. c. pag. 44 sq.

latissimas de optima rei publicae forma ad Periclis rationem expressa disputationes, imprimisque laudes eorum, qui mediam de re publica sententiam sequebantur, nimirum iis gratificaturus, penes quos foedus faciendi aut respuendi potestas erat. Eadem denique de causa ab omnibus iis rebus temperavit, quae moderatissimum quemque offenderent.

Diligenter haec collegisse atque perpendisse cum satis duxerim neque quae inde ad fabulam interpretandam peti possint data opera quaerere in animo sit, tamen adstipulandum putaverim verbis Godofredi Hermanni, qui in praef. Suppl. pag. IV de hac re ita: „Quin etiam criticus inveniet, quod eum si non adiuvet in emendando, at retineat tamen, ne tentet quae saltem possint sana esse“.